



Liber
Bibliothecæ Academicæ Halensi
a
CHRISTOPH. ERNEST. CONONE,
Med. Doct. & Practico
Berolinensi,
TESTAMENTO DONATVS.
1729.

5 1729 + 1 Tüllkigli

Xh. 25.

- Xth Austeri Specimen 1, 2 & 3 Actorum Laboratorii
Chemici
- 2 Valentini Henrici Vogleri Physiologia Historia
Passionis Iesu Christi.
- 3 Ambra Historia Klobii
- 4 Hartmanni Historia Cactini Brasili.
- 5 Dietrii disertatio de Nuce Morettae.
- 6 Henricus Meibomius de Vasis Palpebrarum novis.
- 7 Schelhammerus de ortu et continuo et pharacis morbi
Hippocratis.
- 8 Coroninus de prudentia peregrinandi.
- 9 De Cardamomik.
- 10 De Puoperarum Affectionibus.





ACTA
LABORATORII
CHEMICI

AUTORITATE ATQ; AUSTICIS
SERENISSIMORUM POTEN-
TISSIMORUMQ; DUCUM
BRUNSVIC. ET LUNEB.
In Academiâ Iulii
Edita

a
JO. ANDR. STISSE
M.D.
Helmstadi
M.DC.XC.

D. O. M. 7.
ACTORUM
LABORATORII
CHEMICI

AUTORITATE ATQUE AUSPICIIS
SERENISSIMORVM POTENTISSIMO-
RVM QVE

DUCUM BRUNSV.
ET LYNEBURG.

In Academia JULIA editorum
SPECIMEN PRIMUM,

Medico-Chemica nec non Physico-

Mechanica observata quædam rariora
exhibens,

A U T O R E
JOHANNE ANDREA STISSEER,
M.D. & Prof.

HELMSTADII,
Typis & Sumtibus GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.
Anno MDCCI.

АДОГИА

ПЛЯСОВАНИЕ
НОМІНІ



DUCI
ELITI

СТИГІМЕНІ ПРІМІ

Університетські друкарні

Чеснітівські підприємства

Завод

Літографія

Міжнародний

**SERENISSIMÆ ET
POTENTISSIMÆ
PRINCIPALIS DOMUS
BRUNSVICO-LYNE-
BURGICÆ
DUCIBUS
OMNIBUS**

HODIE FELICITER
REGNANTIBVS
PATRIBUS PATRIÆ
BONO REIP. NATIS
ACADEMIÆ JULIÆ
NUTRITIIS MAGNIFICEN-
TISSIMIS
DOMINIS SUIS CLEMENTISSIMIS

Quod

Quod

CHEMIAM

REGUM PRINCIPUMQUE DELICIAS
NATURÆ MINISTRAM AN MAGISTRAM
HUMANÆ SAPIENTIÆ PORTUM
VANÆ CURIOSITATIS SCOPULUM
AUSPICIIS SUIS EXCITATAM
AUCTORITATE MUNITAM
REGALI MUNIFICENTIA
SUBLEVATAM

21

CUM CÆTERIS OMNIGENÆ
DOCTRINÆ PARTIBUS
IN ACADEMIA SUA JULIA
VITÆ HUMANÆ PRÆSIDIO
DOCERI ET EXERCERI
CLEMENTISSIME
VOLUERUNT, JUSSERUNT

ACTA

ACTA HÆC CHEMICA
VEL EX ARTIS SUÆ
LEGE

QVÆ
AD SUUM QVODQVE PRINCIPIUM
REVOCARE DOCET

PRIMIS CHEMICIS STUDII FUNDATORIBUS
PRIMOS LABORUM CHEMICORUM
FRUCTUS

MUNERIS SUSCEPTI CULTIQVE
TESTES

COLENDIQVE EX FIDE
VADES

HUMILLIMO GRATISSIMOQVE
ANIMO

INSCRIBIT ET CONSECRAT
JOH. ANDR. STISSEERV

POTENTISSIMIS SERENI-
TATIBUS SUIS
PIE DEVOTUS.

LECTO-

ADIM LECTORI BENEVOLO

S. P.

Cum artis Medicæ, nec minus Physicæ, Mathematicæ, aliarumque Mechanicarum ea observe-
tur conditio, ut quotidie noviter inventorum accessione lo-
cupletari & augeri queant: Gravissimi quoque eum hodierni, tum
superiorem seculorum Medici in notandis variarum rerum phænomenis
& instituendis experimentis non levem collocarint operam, ita, ut præ-
sentis Medicinæ & Philosophie facies eleganterior & polita magis præ-
illa priscorum observetur: Nemo, uti arbitror, solida eruditione
imbatus ægre feret, me ad promovendum Medicinæ studium excitem
quidem, sinceram tamen operam quoque conferre. Quam equidem
tot præstantissimorum hujus seculi Virorum laboribus valde imparem
agnosco, nullus interim dubitans, quin pro humanitate sua benevole
complexuri & doctrina sua emendaturi sint, si quicquam commo-
di ex paginis nostris in artis incrementum emanaverit. Gratiae
autem infinitæ SERENISSIMIS ac POTENTISSIMIS DV-
CIBVS REGENTIBUS OMNIBVS CELSISSIMÆ DO-
MVS BRVNVICENSIS ac LUNEBVRGENSIS debentur;
Qui pro singulari Sua Clementia & Munificentia, Chemiæ studium tum
in Medicinæ, tum in Philosophie experimentalis incrementum, in Il-
lustri Sua Julia à me quoque excoli, clementissime jussérunt. Ego
licet eum me non esse agnoscam, qui hujus munieris amplitudini pos-
sim satisfacere; id tamen favente Deo datus operam sum, ne quid,
nisi certis experimentis à me cognitum & perspectum, & vel ingenne
curiositati, vel vita utilitati serviens, eruditæ orbis judicio a me expona-
tur, cuius favori me meumque laborem etiam atque etiam commendando.

D. O.

D. O. M. I.
ACTORUM
LABORATORII CHEMICI
SPECIMEN PRIMUM,

CAPUT I.

De Transmutatione Metallorum & Chrysopœia.

Non pauci è numero Eruditorum reperiuntur, qui Metamorphosin metallorum non modo planè in dubium vocant, verum etiam cunctis transmutationum historiis tantum tribuendum esse censem, quantum anicularum fabulis. Duplici autem fundamento innisi hoc agere videntur, primo quidem autoritate illorum qui species metallorum transmutari non posse contendunt, vel metallorum transmutationes inter non-Entia chemica referunt. Secundo, quia vident omnes laborantes in hac arte non nisi sophistica facere transmutationes & neminem veras. Verum, quod primum attinet, vana profectio est negantium auctoritas eorumque qui non-Entia chemicorum scriptores quidem audiunt, de re ignota tamen judicant, seque experimentalis Philosophiae minime gnoscos esse aperte satis profitentur. Secundum quod spectat, neutiquam sequitur: quod à nullo fieri viderunt, à nullo quoque fieri posse. Aliud sanè docuit experientia, cui repugnare hominis pertinacis est, & ipse Aristoteles existimat, querere rationes & dimittere sensus, infirmitatem

A

quan-

quandam mentis esse. (a) Et quidem cum ab homine
mutentur elementa , mutentur etiam stirpes & quandoque
animantia varia illorum mixtione peracta , quis in dubium
vocabit , ab eodem quoque homine metalla mutari posse.
Videmus ex terrâ fieri lapides , ex ligno cineres , ex cineri-
bus & lapidibus vitrum, &c. (b) hæc & reliqua paradoxon
quæ videntur sapere , utique mirari desinunt , qui cum Per-
illustri Boyleo , aliisque oculatioribus nostri seculi Philoso-
phis , omnia corpora ex materia catholica , omnibus commu-
ni facta esse agnoscent , nec differre , nisi in Figura , Quantita-
te , Motu aut Quietè & Texturâ , minutarum partium , ex qui-
bus constant ; ex quibus affectionibus Materiæ , Qualitates
aut differentiæ speciales corporum , originem petunt . Hinc
non sine ratione concluderelicit , aliam corporum speciem
in aliam posse transmutari , quod re ipsâ nihil aliud est , quam
in alterâ parte universalis materiæ , in quam omnia corpora
concurrunt , producere texturam , similem texturæ alte-
rius partis materiæ utrique communis . Probat hoc ipsum
Perillustris philosophus diversis tum observationibus , tum
experimentis , monstratque non solum vegetabilia sed &
mineralia & metalla variè transmutari posse . Ita ex inocu-
latione docet , parvum oculum omnem succum sibi ad-
motum ita transmutare valere , ut faciat provenire fru-
ctum diversis omnino qualitatibus præditum à fructu ar-
boris genuino , adeo , ut idem succus qui in unâ parte rami
producit e. g. baccam cynosbati , vel racenum oxycanthi ,
in alia parte ejusdem rami producat pirum . Sic aquam
transmutatam in terram , sal marinum in materiam admo-
dum fusilem & inflammabilem . Sali nitri analogam plane ,
accidente licet corpore haud inflammabili ; aurum (quam-
vis sine lucro) transmutari in verum argentum & varia alia

lectu

(a) Aristot. IIX. Physic.

(b) Laur. Ventura de ratione conficiend. Lap. Philosoph. Lib. I.

lectu dignissima experimenta , in aureo quodam opusculo refert. (a) Cum verò ipsius naturæ adminiculo corporum species mire transmutentur , ita ut triticum inconvenienti terreno consitum in filiginem , hordeum in avenam abierit , (nam

*Grandia s̄epe quibus mandavimus Hordea fulcis
Infelix Lolium, & Steriles dominantur Avenæ)*

Teste quoque magno Philosopho , frumentum sterilissimis annis satum mutari in aliam speciem certum sit & inter ruricolas regnare opinionem , si eidem terræ s̄epius triticum mandetur, ex ea nasciturum fore , ut in deterius vergat: (b) Olera quoque nonnulla in rapa , cinnamomi plantam in Europa consitam in laurum , piper in hederam , caryophillum in castaneæ quid simile degenerasse observatum , (c) insuper teste gravissimo Philosopho cæmenta quædam mollia tellus edat & saxa mollia , quæ structuris ædificiorum adhibita æris contactu marmoris instar indurescant , (d) quale quid & nonnulli de Corallio affirmant , dum in imo maris illud molle & tenerum esse , in ære vero cito lapidis instar indurescere contendunt , (e) id quod tamen accurati recentiorum quorundam observatio falsi convincit : (f) Aquarum denique montanarum decursu , & lacustrium quorundam aspersione , pelles animalium & carnes in lapi-

A 2

dem.

- (a) R. Boyle de Origine formarum & Qualitatuum.
- (b) Bac. de Verulamio Sylv. Sylvar. Centur. VI.
- (c) A. Kircherus Mund. Subterrani. Tom. 2, lib. 9.
- (d) Bac. de Verulam. Sylv. Sylvar. Centur. IX.
- (e) A. le Grand Histor. Natur. Part. V. Art. 9. R. Boyle Histor. Fluiditat. & Firmit. Part. II. Sect. 68.
- (f) Recherches & Observations Naturelles par M. Boccone. Ettmuller de Tinctor. Corallior. §. 7.

dem mutari observatum literisquē proditum sit, imē lignā, arbores, filices & ulmorum frondes, in tophum conversas, sint qui viderint: (a) quid non ars illa quæ naturæ famulatur & felicissima naturæ imitatrix dicitur, efficiet? quippe hæc ex sulphure sublimat flores, iis planè similes, qui prope montes ignivomos reperiuntur. Ex sulphure & argento vivo cinnabarim factitiam componit, huic persimilem & ex iisdem principiis ortam, quam ex terræ visceribus eruunt. Et ut innumera alia taceam, ex ferro & cupro vitriolum parat, quod eruto ē marcasitis vitriolo simillimum est, nec non phænomena alia ab illo nullatenus differentia exhibet, nam utrumque calcinatione in pulverem rubrum abit, utrumque tortura ignis phlegma & stigma acidum fundit, utrumque vi emetica pollet, gallarum infusionem in colore atrum convertunt ambo.

Ad propositam autem metallorum metamorphosin ut veniamus, non paucis in locis aquas naturales metalla transmutare, probant fontes Hungariæ ad oppidum Smolnitium, in monte Carpatho, in quos ferrum conjectum in cuprum optimæ notæ vertitur. (b) Licet autem sint qui metamorphosin hanc pro verâ metallorum transmutatione admittere nolint, verum potius tale quid vitriolo veneris in aqua soluto tribuant, quod ubi in ferrum agit illudque destruit, ramenta cupri aquæ poris innatantia deponat & ferri spatiis sensim accommodet; contrariam tamen experientiam Cl. D. Brown de fontibus Hungariæ testatur, ita autem loqui-

- (a) I. Franc. Pic. Mirandul, de auro Lib. 2. Oldenburg. Act. Philosoph. Anglican. Mens. Novemb. 1665. Erasmo. Francisc. Ost und West-Indischer wie auch Sinesischer Lust-Garten in Prelog.
(b) D. Sennertius de Chemic. cum Galenic. Confess. & diffensio Cap. 2. A. Libavius Exam. Sententia Parisiensis Scholæ contra Alchymiam lata.

loquitur: Wenn das Eisen in diesem Brunnen in Kupffer verwandelt wird / so wird dasselbe etlicher Orten oftmahs ganz von einander gesondert / und lieget in Gestalt eines Pulvers auf dem Boden. Es sind aber diese Theil klein Eisen mehr/sondern Kupffer: Und ich habe aus dem Brunnen solch Pulver selbst heraus genommen/und solches zu dem feinsten Kupffer geschmolzen: Dass ich also/dafern das Eisen nicht verwandelt werden sollte/ gar nicht wissen könnte/wo es denn hin käme. (a) De aquâ hac Pater Andreas Schafferus ad Kircherum ita scribit: *Hæc est aqua ex valle Domina-rum seu Herren-Grund prope Neosolium ubi sunt cupri fodinæ quam hic vocant Zement-Wasser sive simpliciter Zement/ fluit per mineræ cupri que per se vitriolata est. In hanc injiciunt ferri laminas & intra tres menses centenarii & amplius ferrearum laminarum vertuntur in cuprum. Schemnitii locus est, Neosolio oðo circiter milliarium distantia dissipatus, ubi similis aqua majoris efficacia & quantitatis reperitur.* Et alibi: *Quod Rev. V. in secundis literis ad me datis scribit, ut scil. ei significem, qualiter ferrum debeat esse constitutum ut in cuprum per aquam vitriolatam vertatur. Significo Rev. V. quod soleant tam in Herren-Grund: Prope Neosolium, tum Schemnitii prope Sepusum, omne antiquum ferrum & fracta ferrea instrumenta, quæ nulli usui amplius esse solent, uti sunt antiquæ palæ ferreæ, rastra fracta, secures, &c. apud fabrum per ignem recudi in laminas rotundas, oblongas ovalis figuræ &c. quanto tenuiores ceduntur tanto citius in cuprum vertuntur, hæc est praxis.* (b) Simile quid Mathesius aliqui referunt. (c)

A 3

Hæc

(a) Edward. Brown schr denkwürdigen und sonderbahren Reisen / Lib. 2. Part. V.

(b) A. Kircherus Mund, Subterrani, Tom. II. Lib. X.

(c) P.I. Faber. Pallad. Spagyric. cap. XVII. Laz. Ercker. Ant. Subterrani. Lib. 3. P. Giurius Arcan. Acidul. Respons. ad Epist. D. Cattieri.

Hæc cum aquæ naturales præstent, cur non simile
quid arte fieri poterit? Ardua quidem quæstio est, utrum
ars naturæ opera moliri possit, verum non ars sed ipsa
natura species metallorum mutat: naturæ vero ars famu-
latur; ignem regit, vasæ præparat; sed natura sola opus
absolvit. Neque necesse est ut natura arte sibi famulan-
te adjuta, tantum temporis insumat, quantum in terræ vi-
sceribus adhiberé dicitur. Quem enim fugit naturam ab
arte perfici? plumbum vel stibium, silices ipsi in vi-
tra splendida commutantur, ex ferro cuprum optimæ
notæ paucarum horarum curriculo conficitur; cui licet
contradicat, Rev. Pater Kircherus & hanc mutationem ni-
hil aliud esse afferat, quam corpusculorum æratorum in
vitriolo (quod adhibere solent) latentium ad ferrum, quod
naturaliter appetunt confluxum: Citra tamen vitrioli ad-
ditionem succedere negotium constat. Nimirum lami-
nulas chalybis aquæ communi, & oleo sulphuris per cam-
panam parato, imponunt, duplo plus aquæ quam olei ad-
hibendo, vase clauso per sex horas aquam fervere permit-
tunt, vitriolum splendens & viride, in superiorem vasis par-
tem elatum, colligunt, recenti aqua solutum excoquunt,
donec appareat cuticula; tum laminulæ chalybis suppo-
nuntur, quibus æris ramenta adhærescant & collecta in
cuprum funduntur. (a) Idem minori labore obtinetur
scil. scobem ferri cum anatica portione sulphuris pulverisati
calcinant & reverberii igne urgent, quo usque sulphur com-
bustum sit, quod reliquum est in ferventem aquam conji-
ciunt, cui quando laminulæ ferri imponuntur, ramenta æris
iis adhærescant, & detersa fusionis igne dato, in cuprum
abeunt. Atque ita non solum ex ferro fit cuprum, ve-
rum etiam ex ferro chalyps, ex stanno & plumbo ipso etiam
argento

(a) Goossen van Vreesvijk Vervolg van't Cabinet der Mineralen.

argento solius ignis beneficio verum cuprum, (a) è plumbō cerussa & minium, ex cupro ærugo & orichalcum, quod non solum colore sed & reliquā suā texturā à cupro plane distinetum est, cum ut postmodum dicetur aurum corruptat & fragile reddat, cui tamen alias cuprum sati commodè permiscetur: Et profecto alia infinita præstant artifices, quæ natura vel nunquam, vel non nisi post longam annorum seriem absolvit. Natura namque arte adjuta paucis momentis pleraque gignit, affingit, mutat, quæ sola efficere haud valet. Neque ignotum hoc erit Medicis, uti arbitror, qui cum adjutores & ministri naturæ sint, morbos profligant, quæ solius naturæ efficacia superari haud poterant. Verum, præcipue lis videtur esse, de reliquorum metallorum transmutatione in aurum; quæ à plurimis impossibilis prædicatur, cum tamen experientia contrarium ostendat. Et miror certè quid moverit Rev. P. Kircherum, Rerum naturalium contemplatorem accuratissimum & insignem philosophum, metamorphosin metallicam impugnare, & lapidis physici existentiam simplicissime negare, qua de re penes Eruditos justas luit pœnas.

Nolo jam prisorum omnium facere mentionem, qui artis transmutatoriæ non solum auriti sed & oculati & profecto fide digni extitere testes, cum alii hoc ipsum jam dudum egerint: (b) ut non dicam quid pharmacopola Tarvisianus coram Senatu Veneto, quid Anshelmus Boetius Cæsareus medicus pulvisculo quem in libri antiqui assere confracto invenerat, effecerit; quid Edoardus Kellejus Anglus, & permulti alii præstiterint; quæ non penes recentiores & nostri quoque Seculi gravissimos viros Medicos

(a) *I. I. Beccherus Physic. Subterrani. Lib. I. Sect. V. Cap. 3.*

(b) *Robert. Vallenfis de Verit. & Antiquitat. Art. Chemicæ.*

dicos & Philosophos, imo Theologos, Sperlingium, Zwing-
gerum, Casp. Bartholinum, Mart. Delrio, Rob. Fluddum, H.
Salmuthum, Francisc. Osw. Grems, Joh. Schröderum, Petr.
Borellum, Henr. Kunraht, Joh. Cornel. Martini, Helmont-
ium, Joh. Zwelferum, Joh. Tackium, Joh. Joach. Bech-
erum, Joh. Fred. Helvetium, Joh. Ristium aliosque hujus ar-
tis divinæ, testimonia extant atque exempla? quæ omnia
recitare locus non sinit, unum tamen ex prædicto Hel-
montio recitabo qui ita loquitur: *Lapidem Chrysopææ*
vidi aliquoties meisque contrectavi manibus: erat enim co-
loris qualius croco in suo pulvere, ponderosus tamen & micans
instar vitri pulverisati. *Datus mihi fuit semel quadrans*
unius grani: Granum autem voco sexagesimam partem unius
drachmæ. *Hunc ergo quadrantem unius granis chartæ invo-*
lutum projeci super uncias octo argenti vivi fervidi in cru-
cibulo, & confessim totum hydragyrum cum aliquanto ru-
more stetit à fluxu congelatumq; resedit instar offæ flavæ.
Post fusionem autem ejus flante sole reperte fuere unciae octo
auri purissimi, granis undecim minus. Itaque unicum gra-
num illius pulveris transmutasset in aurum optimum argenti
vivi partes 19186. Inter terrena ergo reperitur præfatus
pulvis quodammodo similis, qui sere infinitum metallum impurum
transmutat in aurum optimum, sibique uniendo ab æru-
gine, rubigine, carie & morte defendit ac velut immortale
facit &c. (a) plura quoque alia lectu digna apud prædictum
Helmontium reperiuntur. (b)

Ecquis autem fidem derogabit tot tantisque naturæ
Mystis? quorum experientiæ contradicere plane absurdum
esset. Quare Cornelius Martini Juliæ nostræ celebris
quondam Philosophiæ Professor ita inquit: *Ego de hujus*
artis

- (a) *Helmontius Vita eterna.*
(b) *Idem Arbor, Visa & Poteſt. Medicaminum.*

artis veritate aut falsitate nibil apud vos commentabor,
neque eam afferere volo; neque tamen tot tamque præstan-
tibus viris. (inter quos sunt doctissimi Philosophi, Juris Con-
sulti, Medici, etiam Theologi nec non viri Principes, qui li-
bris editis sande affirmant, se oculis suis vidisse & manibus
non tantum palpasse, sed & confecisse transmutationem unius
metalli in aliud) Ego fidem derogare debeo, hoc enim mibi vi-
detur esse imprudentis, non Philosophie studiosi. (a) De Cor-
nelio Martini sequentia notata digna penes Zwelferum
reperiuntur. Occurrit mihi Historia, quam Helmstadii ac-
cidisse, compertum habemus: ubi Cornel. Martini, Uni-
versit. illius tunc temporis Professor Publ. Tractatum quendam,
de Lapide Philosoph. manu Autoris (Cornelii) fideliter &
industrie, uti existimabat, elaboratum & typis propediem man-
dandum ac pro disputatione eventilandum. dedit. Inter-
venit Nobilis! quidam Vir, moribus ac pietate conspicuus,
Cornelio familiaris, qui, de more, ad disputandum & ar-
gentandum lacefatus est; cum tamen impar huic oneri esset, re-
non syllogismis tantum philosophus. Hic ut sententiam suam fa-
cis proferret, carbones ac plumbum sibi afferri jussit, & in præ-
sentia coram oculis Cornelii, Tinduram quandam eliquato me-
tallo injectit, ejusque virtute jam dictum plumbum in aurum
optimum translulit; deque eo etiamnum calente, Dom. D.
Cornelio particulam notabilem porrigens, hoc subjunxit a-
pophtegma: Heus jam tu, mi D. Cornelii, solve mibi bunc
syllogismum! Sic ex abrupto argumentatus spectatores suos
multis reflexionibus gravidos dimisit, ac palam fecit, quid
possit in natura genuina philosophia. Cornelius interim rubo-
re ac verecundia suffusus, palinodiam cecinit, vanas dimit-
tens questiunculas, pyrotechnie se tradidit, futurus per ignem
philosophus; orando & laborando. (b) An huic historiae

B.

fides

(a) Cornel. Martin. Analyt. Logic. Cap. VIII.

(b) Joh. Zwelferum Mantiss. Spagyric. Part. I. Cap. I.

fides adhibenda sit nec ne sollicitè quamvis inquirens rēscire
hāud potui. Hāc tamen ex ore D. Henr. Wideburgii
philosophiæ in hāc Academiâ Professoris & collegæ ho-
noratissimi habeo, quod ante paucos annos, Cornelij Mar-
tini ædes inhabitans, apparatus Chemici varia adhuc de-
prehenderit vestigia. Ad propositum autem ut revertar,
minimè ambigendum est non tantum viros gravissimos
Philosophos & Medicos aliasque, verum & Imperatores,
Reges & Principes, hujus rei oculares testes, qui non-
nullos ex iis, ipsius divini artificii possessores exstisſe, qui
ut Poëta canit

— — Non parvis sumtibus illam
Invenere artem qua non ars dignior ulla eſt
Fingendilapidem æthereum, quem scire prophanis
Haud quaquam licet & fruſtra plebs improba querit
Quem qui babet, ille potest ubique babitare decenter,
Nee fortunæ iram metuit nec bracia furum.

Ut alia taceant, bina hujus rei exempla apud Kunckelium
reperiuntur, (a) primum de Sereniss. Electore Saxonæ
Augusto beatissimæ memoriæ & Serenissima Ejusdem
uxore, qui lapidem quadruplici modo per quinque annos
obtinuerunt, exceptis particularibus quorum minimum
tinxit 1604. partes. Secundum de Serenissimo Ejusdem
filio Christiano primo, beatissimæ memoriæ, qui pariter
post fata parentis nobilis hujus doni Dei per quinque an-
nos exstitit possessor. Ego tot ac tantorum Virorum per-
illustrium admirator saltem & in summo illo philosopho-
rum artificio plane hospes, gratulor mihi, quod plumbi in
aurum transmutati partem ante aliquot annos penes Cl.
D. Helvetium in Belgio videre, manibusque tractare sal-
tem occasionem nactus sim, pluraque ex laudato Viro au-
diērim, quæ magnam profecto admirationem merentur
litera.

(a) Joh. Kunckeli Observat. de Salibus fixis & vol. auro porab. Cap. 7.

literarumque monumentis consignata hodie reperiuntur.

(a) Monstrata mihi quoque ab uno altero eum in Belgio
tum alibi, auri arte parati particula, sed dubitavi utrum il-
lis fides tribuenda esset.

Ante octo annos circiter, cum Hamburgi viverem,
vocatus sum ad Illustrissimam Sveciae comitissam M. D.
L. G. Fœminam certè operationum chemicarum nec non
philosophiae naturalis & Astrologiae judiciariæ maximè
gnaram; huic arthritico - scorbutico malo decubenti,
cum non sine fructu medicamenta quædam meis manibus
parata propinassem, variosque cum Illustrissima ejus per-
sona de Chemicâ & transmutatione metallorum habuisse
sermones, monstravit mihi pulverem rutilantem exiguae
molis, cuius adminiculo post aliquot dies in fabri ferrarii
officinâ, (quæ è regione hospitii ubi domicilium constitu-
erat, reperiebatur) mercurius vivus in crucibulo calefa-
ctus, facta super eum pulvisculi jam memorati projectio-
ne, in verum perfectissimumque tingebatur aurum.
Cum autem auri granum pristinæ mercurii portioni mi-
nus respondere, pulveris tingentis tamen portionem longè
excedere cernerem, hinc & de pulvere aurifico, quod ve-
rus ille lapis philosophorum esset dubitarem, candidè mi-
hi confessa est Illustrissima fœmina, pulverem hunc pro la-
pide philosophorum venditari equidem haud posse, (cum pro
acquirendis divitiis minime sufficeret, & laboriosa
ejus præparatio avaris labore vix compensaret) ad de-
monstrandam tamen transmutationis possibilitatem, curi-
ositati suæ sufficere. Ulterius institi, è quanam materia
conficeretur pulvisculus, & post rogatiunculas quasdam,
sanctè mihi affirmavit, eum ex argilla parari, quæ iteratis
vicibus in pulverem redigi, rore irrigari, atque sub dio in
vitro aperto (superstrutto tamen tegmine, quo à pulviis li-
bera

B 2

(a) Job. Fr. Helvetius Vitul. Aur.

bera esset materia) detineri deberet, & tali processus modo continuato, post aliquot menses non solum metalla imperfeta, ferrum, plumbum, cuprum, sed & perfecta tractu temporis, aurum & argentum, denique pulverem aurificum ipsum, exiguæ quamvis molis, proditurum esse.

Hæc cum sollicitè meditarer mecum, atque varias præstantissimorum chemicorum libros evolverem, casu perveni ad Clariss. Borrichii, Chemici nostri temporis celeberrimi, doctissimum scriptum, in quo sub finem videre est experimentum, quod Illustrissimus Eques Kenelmus Digbæus, Reginæ Britannicæ Cancellarius ipse, laudato Autori communicaverat, his usus verbis. *Vivebam Parisis tempestate Cromwelliana Patriam flagellante, & fallende tristum memoriae identidem Chemicis vocabam studijs, cum euriosior quidam de Terra Arceviliensis virtutibus metallicis mira subinde auribus meis occentaret. Quid multis rapior impetu denique & Arcevilem (distant unum ab urbe Pariseni lapidem) feror, jubeo liberas circiter viginti terræ illius rubicundulæ erui inque urbem necum deportari. Postridie diu id terram hanc in duodecim partes, inque duodecim vasculis terreis iisque amplis dispono, aërique libero committo in solario ædium mearum, tegmine ligneo, quod à pluvia & ventorum fortuitis defendet, perfundorè supra vascula suspenso. Jubeo bis tervè quotidie materiam aquæ pluvia tantillum irrigari. Exaldo demum mense, argillam vase primo exceptam aquæ pluviae copiosiori incoquo, vehementius intendens ignem, aquam percolatam lentè evaporatione cogo in spissamentum, & in fundo vera vitrioli rudimenta, colorem, saporem, angulos evidenter deprehendo. Continuo irrigationem vasculorum caeterorum & exequente mense secundo, in secundo vase laborem præformatum repetens, sulphur germanum reperio. Verbo, mense tertio plumbum semibi*

mibi offert, quarto stannum, quinto ferrum, sexto æs in quo
argenti tenuia aliquot ramenta. Reliqua sex vascula super-
veniens tempestas disjecit Et finem experimentorum speficare
prohibuit. (a) Faciam volente Deo & hujus rei experimen-
tum, cum prope Helmstadium, argillæ oculum obiectantes
diversorum colorum & bonæ satis notæ reperiantur, suc-
cessum quoque fideliter communicabo.

Transmutatoriam interea artem & Lapidis physici
entitatem quod attinget, eam veram esse, satis, uti arbitror, ex-
perientia & illustrium virorum suffragio probavimus.

Sed tanto paucos dignantur munere Divi.
Sciendum namque est, artem difficultissimam esse, quod mul-
torum irritus docuit labor, hinc nemo se vel legendo, vel
experiundo, facile ad notitiam hujus artis perventurum si-
bi persuadeat. (b) Mirari ergo licet hominum temerita-
tem, qui nulla prorsus doctrina imbuti, absque ulla præli-
bata rerum physicarum cognitione, tamen ad opus maxi-
mi momenti adfectant viam. Et quis histrio, miles, cir-
culator? Quis tonsor, seplasiarius, balneator? Quis, mer-
cator, opifex? Quis rabula, sacerdos, ciniflo, non Alchy-
mista videri prurit & magnæ philosophiæ procum se jaecti-
tat? quos tamen abstinere philosophus Poëta ita jubet,

Hanc non impuris manibus fraudator avarus
Attingat; decodor item, -- quisque fabrili
Arte valet, mollisve etiam, cui perdita cordi
Ocia, Mercator ve vagus, vel deditus urbi
Civis, Et incumbens telluri arrisque colendis
Et qui multa animo præsertim Et magna minetur
Velsi qui similes hæc vulgo querere sventi
Fraude mala tantum vel babendi prorsus amore. (c)

B 3

Requi-

- (a) O. Borrichius de Ortu & progressu Chemie.
(b) Theob. Hoglande de Alchymie difficultate.
(c) Augurellus in Chrysopœia.

Requirunt philosophi unanimē artificēm doctūm, philosophiā naturalis maxime gnarūm, prudentem, constan-tem, acutem, minime prodigum, patientem, variarūm linguarūm & imprimis latini sermonis peritum, ut varioſ scribentium libros intelligere possit, librōrum copiam habentem, timentem Deum & à peccatis abhorrentem, locu-pletem & nescio quibus non corporis & animi bonis præditum: hinc Lullius inquit, *hec ars divitias requirit, sapientiam & libros.* (a) Et idem sentire videtur modo lauda-tus Poëta Philosophus qui ita

*At sapiens, superos imprimis qui colat & qui
Noscendis penitus causis modo gaudeat, buce se
Conferat, banc totis selectetur viribus artem
Huic comes herebit gravis exploratio rerum
Intima natura passim vestigia servans &c.* (b)

Hæc minimè uti videtur, penitantur ab indoctis & teme-rariis nebulonibus, qui Sacrae Chemiæ non nisi vi quadam se ingerunt, & haud absimiles reperiuntur procis Penelo-pes, qui cum castissimâ dominâ potiri nequirent, apud im-pudicas divertebantur famulas. Hinc tot flagitiosorum hominum ~~adiquata~~, impostores, Pseudo-chemistæ, fumi-venduli, carboniperdæ, ciniflones, tanquam ex equo Tro-jano prodeunt, qui sub nobilissimæ artis velo, præstigiis quibusdam & nebulosâ fraude, credulos hominum animos occupant, suisque technis illudunt. Et certè hi ar-deliones & circumforanei, qui nobilissimum secretum ven-ditant, haud aliud quid agunt, quam quod principibus sub-tilissimis dolis ac technis glaucoma objiciant, eosque (do-cente experientia) strenue auro & argento emundant. Audivi plures Heroes ab ejusmodi hominibus deceptos, hoc tandem didicisse, neminem debere iis fidem habere.

Et

(a) R. Lullius Test. Cap. 31.

(b) Augurellus in Chrysop.

Et non sine ratione ad credendum inducor, omnes illos
qui tam magno studio & opera in aulas involant, & in prin-
cipum gratiam hoc secretum jactando, se insinuare labo-
rant, ejusdem esse imperitissimos. Si enim hoc tenerent,
nonne majori ipsis delectationi esse posset, quam omnium
principum fragilis fucataque gratia? Sed alio artificio at-
que commento uti solent: dicunt, sibi solum opus esse pe-
cuniâ ad perficiendum id quod promittunt. Quasi vero
aurum hic vel argentum & non potius maximus labor ac
scientia requiretur. Hæc fraus non solum in nostra Eu-
ropâ, sed apud Chinenses quoque regnat: Nam ibi refe-
rente Trigautio, strenuè Magnatum crumenæ ab ejusmo-
di impostoribus emunguntur. (a) Non reticebo equi-
dem fallacias à Chrysopæis commissas, quibusque
credulos ac ignaros illaquearunt: Sic aliis ferreo baculo
limatura auri repleto & cerâ subtiliter obturato, fusum
plumbum aut mercurium in crucibulo calefactum agita-
vit, liquefactaq; cera illi quod in crucibulo erat eommiscu-
it, atque ita aurum produxit. Alius aurum argento vivo
obductum & argenti colore imbutum, pro argento vendi-
tans, illud exiguo labore & instituta saltem fusione, fuga-
tis calore argenti vivi particulis adhærescentibus, quod
antea jam erat, aurum scl. produxit. Novi quondam Ita-
lum impostorum insignem & versatissimum, qui hâc ute-
batur technâ, accipiebat cinnabaris nativi granulum
quod ignaris pro tincturæ obtrudebat particulâ) hoc ceræ
includebat globulo, eumque baculi ferrei extremitati uni-
adaptabat, quæ extra manum conspiciebatur, alteri extre-
mitati interea quæ in manu erat, globulum cereum scobe
auri repletum accommodans: Argento vivo in crucibulo
calefacto, mira celeritate baculum invertens, globulum ce-
reum cum auro ei intrudebat ; dato igne fortiori, avola-
bat

(a) *Trigautius de Expedition. Christian. apud Sinas lib. 1. Cap. 9.*

bat argentum vivum, & aurum denique summa adstantium cum admiratione conspiciebatur, abscondito interim in manicā vel alibi, globulo altero, cui cinnabaris particulam incluserat; & sane hic non paucos defraudabat pecunia. Aliud adhuc artificium subtilius tamen & ad peritiores decipiendos aptum extat, ubi nimirum pulvis, qui (licet fortiori torqueatur igne) in argentum per se quidem non abiens, limaturae tamen plumbi injectus, illam ignis admicculo in argentum optimæ notæ transmutare videtur, & tamen pulvris peractâ operatione colligitur rursus, qui antea quidem nihil aliud quam calx argenti erat, jam autem, quod sanè mirum, calcem plumbi constituit, argento sub metalli forma rursus existente. Non minoris subtiltatis techna illa videtur esse, cuius beneficio frustrum Cinnabaris in argentum mutari posse monstrant, prout egregiè satis soiertissimus quidam Galliæ Chymicus his monet verbis. Ils reduisent encore des morceaux de Cinnabre en argent & cette subtilité est tres curieuse. Voici comme ils l'y prennent. Ils stratifient dans un creuset du Cinabre avec de l'argent en grenaille: ils mettent le creuset dans un grand feu, & apres quelque temps de calcination, ils le retirent, ils renversent la matiere dans une bassine, & ils montrent les cloûx de Cinabre qui ont este convertis en argent véritable, quoique les grenailles soient demeurées en leur premiere forme. Ils concluent de là que transmutation des metaux est possible, puisque le Mercure du Cinabre a este reduit en argent, quoique l'argent soit resté comme il estoit auparavant. Cette experience est surprenante. & l'on ne peut pas voir les mêmes morceaux de Cinabre qu' on avoit veu mettre dans le creuset, changer de Mercure en pur argent, qu' on n' ait bientôt de la pente à croire qu' il s' est fait une augmentation de ce dernier metal; & même plusieurs tiennent qu' on n' en peut

en peut pas doutier. On demeure dans cette erreur , jusq'
à ce qu' on ait la curiosité d' examiner les grenailles d' ar-
gent, & alors on commence à se desabuser , car on les trouve
fort legeres, & si on les prese entre les mains , elles sont
écrasées presque aussi facilement que des pellicules. On cesse
de croire l' augmentation quand on pese les peaux de gre-
naille avec les clous , car le tout ne pese pas plus que les gre-
nailles d' argent pesoient avant qu' on les eust mises dans le
creuset. En fin , il faut de necessité , ce qui est fort étonnant ,
que le Mercure se soit premierement amalgamé avec l' ar-
gent , qu' il ait charié cet argent dans les morceaux de cina-
bre & qu' en suite s' étans dissipé par le feu , il ait laissé l'
argent seul. (a)

Ante aliquot annos Serenissimo cuidam Principi &
in Chemicis operationibus non patrum versato ac maximè
curioso. Hamburgi liquor viridis offerebatur , ab imposto-
re , aquæ Leonis viridis nomine insignitus , & tantis vir-
tutibus descriptus , ut argento vivo superfusus , illud in per-
fectum mutaret argentum : Fecit coram principe & auli-
cis experimentum artifex , magna cum admiratione , Se-
renissimo quoque Principi hujus liquoris copiam dedit ,
& aliquot centum thaleris sibi numeratis , ipsam artem &
parandi modum pollicitus est : Acceptâ pecuniâ autem ,
post aliquot dies invisibilis factus , novus hic philosophus ,
& fraus apparuit . Erat autem liquor cujus portio à Sere-
niss. Principis cubiculario mihi monstrabatur , nihil aliud ,
quam solutio argenti , spiritu nitri facta , abstructo iterum
maximâ ex parte menstruo . Paravi simile quid , & liquo-
rem viridem obtinui , qui argento vivo superfusus , ejus
colorem non solum statim immutabat & argenteum
efficiebat , verum etiam ejus fluiditatem impedire & parti-
culis facile mobilibus quasi compedes injicere videbatur :

C

Arenæ

(a) N. Lemery Cours de Chymie Prem. Part. Chap. L

Arenæ calidæ (uti iussicerat artifex) imposita hac mixtura, non solum liquor sed etiam Mercurius caloris sensu in auras sensim abiit, remansitque calx lunæ, adhibito fusionis igne in argentum rursus faceiens. Certe visu haud injucundum hoc erat artificium, cuius ratio in promptu est: Quippe solutioni lunæ injectus mercurius, particulæ salinæ (quæ lunæ moleculas in liquoris spatiis suspensas tenebant) in mercurium sua spicula intendunt; hinc missa metalli ramenta ad fundum cadunt & avidè satis à mercurio arripiuntur, cuius superficie dum incumbunt eique firmiter satis adhærent, fluiditatem ejus impedire videntur & quasi cuticulam super inductam constituunt, licet æque vivus adhuc reperiatur mercurius.

Similis notæ videtur esse clavus ille ferreus, in ar-
rum ex parte conversus, & inter rariora Magni Ducis He-
truciæ repositus, de quo sequentia apud Tachenium repe-
riuntur. *Hujusmodi clavos aliquoties ludendo propria*
manu paravimus, qui verb metalla tradant vulgari modo,
illis videtur impossibilis ferri & auri conglutinatio, adeoque
credunt pro certo, hunc clavum fere ex ferro in aurum trans-
mutatum esse. Et paulo post ipsum parandi modum se-
quentibus docer. Seca clavum ferreum in duas partes, ex-
tremitatem humeda saltē cum sali &c. & statim tange hanc
partem cum vitriolo cupreo, & in ipso punto ferri extremitas
rubescit, & jam acquisivit cupri naturam, cupro autem au-
rum facilimè associatur, adeoque huic cupro ferreo adaptā
cuspiderem, saltam ex auro, cumque borace & aurea solititurd
(qua sit ex cuprea moneta, sativa est parum argenti & auri
ad oculum liquari) in carbonum commodo igne more solito
colliquato, & habebis clavum aureum tantæ famæ. Deni-
que hujus clavis testimonium ita exprimit Autor. *Hunc*
Turneiferus tinxit ferragine, quā cum abscondit ac magno
Principi

Principi (sine dubio) manibus tractandum obtulit, qui ita larvatus, & peritissimo quoque ferrum judicabatur quem igne calefecit, ac in oleum quoddam (ut ait testimonium) intinxit, ab illiusque ferrugininem & aurum apparuit. En artificium si artificii nomine dignum. (a)

Clarissimus Sponius hunc clavum non amplius monstrari docet, cum deprehensum sit, paradoxon hoc in consolidatione quadam confistere, quæ utrumque metallum ita conjungat, ut animadvertisse haud possit. (b) Aliæ quoque prædictis non absimiles fallaciæ notantur, quarum (rariissima omnium licet) periculosisssima est ea, quando non nulli de verâ aliquâ tincturâ parrem quandam suffurati, vel quoconque modo nacti, mira artis specimen praestiterunt & minus cautos argento defraudarunt, postmodum autem consumptâ tincturâ, nihil amplius (cum artificium sibi haud constaret) praestare valuerunt. Memini hujus rei exemplum cum adhuc Hamburgi viverem. Quippe magister quidam equitum, uti ferebant, homo ignotus, coram Serenissimo Duce Holsatiæ rerum chemicarum haud parum curioso & variis aliis ingenuis viris transmutatio- nis specimen exhibuerat, & multis processum elaborandi lapidem, satis carè venditans, non exiguum lucratus erat pecunia summam: Denique cum magno cuidam Princi- pi tincturam largiri & projectionem coram eo instituere promisisset, neutrum (quemadmodum mihi viri fide digni retulerunt) explorare valuit, quin potius se hujus rei ignarum, lapidis philosophici particulae possessorem fuisse confessus est, cuius partem se brevi ab amico accepturum allaturumque promisit, sed adhuc hodie frustra, uti arbitror, exspectatur. Veniebat interea temporis tamen ad me civis quidam satis opulentus & mihi familiaris, qui

(a) O. Tachenius Hippocrat. Chemic. Cap. 28.

(b) J. Sponius Itinerar. lib. 1.

circa chrysopiam non parum perdiderat pecuniae, læto-
que ore se non solum auri transmutati sed & processus la-
pidis physici possessorem esse, professus est. Viso auro (ut
perhibebat) arte facto, optimæ quidem notæ esse affirmavi,
an tamen transmutatione è plumbo factum & philosophi-
cum esset, in dubium vocavi: Quare non sine iracundiâ
sanctè affirmavit, se hujus rei ocularem fuisse testem, quin
ipsam projectionem suis perfecisse manibus. Quæsivi, anne
mihi concessum esset ejus probationem beneficio Antimo-
nii instituere, quod satis promptè permisit: factâ igitur au-
ri (quod duorum ducatorum pondere erat) fusione cum
stibio, separatoque satis sollicitè ab eo solari regulo, aliquot
grana ponderi ejus defecerunt, perterritus amicus noster,
massæ antimonii adhuc aliquid auri inesse contendebat,
gessi morem homini, & antimonio maximâ ex parte adje-
ctione salium in scorias redacto, regulum ejus separatum
in crucibulo eo usque folle agitavi, donec penitus sufflatis
antimonii particulis, nihil nisi massa quædam metallica
exiguæ molis & ponderis, paucorum granorum superesset,
quæ minus aurum, sed argentum potius cupro permixtum
æquabat, docente hoc postmodum (instituto ulterius gra-
ni metallici per cupellam examine) eventu. Aurum ita-
que hoc non philosophico artificio paratum, sed duorum
ducatorum (quod argenti & cupri una admixtis gaudet
particulis) fuisse, bonus vir, invitus quamvis, credere co-
actus est; & quidem, cum ex transmutationis historiâ D.
Helvetii ipsi ostenderem, aurum transmutatum non solum
sine detimento rigorosum examen per stibium sustinuisse,
sed & adjecti argenti particulam adhuc transmutasse.
Deceptum itaque se videbat noster Philosophus & subito
spes concidebat de acquirendis Croesi divitiis: Pervenie-
bat quoque ad manus meas processus, seu charta potius,
egregiis

egregiis mendaciis referta, quam centum uti fatebatur
emerat ducatis, perfectis nugis, vix risum tenere poteram,
quippe totum opus in salis marini repetitâ cum aquâ ro-
ris majalis coctione positum erat, vixque merebatur le-
ctionem. Suasi ergo bono viro, ut imposterum à Philo-
sophis ejusmodi abstineret & pro damno cautius mercari
discretet.

Certè autem omnes sibi caveant ab ejus modi Sycophan-
tis: Si enim artem scirent, non tam facile & sponte addocen-
dam eam se offerrent, namq; in occultandâ hâc arte omnes
religiosissimi reperiuntur. Si vero ipsam nesciunt, eam do-
cere minime valebunt, aut si periculum illis facere ani-
mus est, non de alieno ludant corio, sed in suis bonis potius
quam nostris tale quid instituant. Prudens interim rem
suam custodiens, suâque sorte contentus, probè sibi tem-
perabit ab incertis ejusmodi divitis; suavioribus enim
ejusmodi somniis qui inhæret, umbras captat, nec raro te-
fite Oweno

— bona dilapidat omnia pro lapide.

CAPUT II.

De variis Auri texturam alterandi modis nec non de Auro potabili.

A Urum perfectissimum naturæ opus, Sagaciores re-
rum contemplatores utique propter incorruptibili-
tatem quam in igne & caufticis liquoribus sustinet, admiri-
rantur, atque æternitatis typum exhibere agnoscent;
Notum quoque est Philosophorum effatum, facilius esse
aurum construere quam destruere. Nihilominus tamen
hujus corporis fixissimmi texture facillimè & levi de causâ
alterari potest. Sic fumus saltem plumbi, particularum ne-

xum in corpore hoc metallico disjungit, figuram autem adeo mutat ut calcinatum videatur & in pulvrem redigi possit. Non absimile quid ab antimonii per ignem fusi, nec non orichalci effluviis experitur; atque experientia me docuit, aurum in igne quodam liquefactum, quod ante orichalci vel antimonii fusioni inserviebat, adeo alterari, ut pristinam fere faciem amississe videatur.

Aurum candens adhuc, laminæ orichalci impositum docente autopsiâ, non solum colorem mutat, verum & fragile fit, neque facile credidisset aliquis, hujus metalli contactu saltem, perfectissimi metalli particulas suum situm adeo subito mutare; quod multo magis observare licet, ubi cum orichalco funditur, cuius exigua saltem pars, auro adjecta, illud quasi corrumpit, ut non amplius aurum esse videatur. Minime tamen existimandum est, jam memorata, auri crasis metallicam destruere, quod ipsum nec ignis, nec ullum causticum efficere valebit, quippe auri poris se insinuando horum effluvia, particularum situm atque nexum, iri diximus, saltem mutant, & corporis metallici texturam alterant, quod ipsum magis adhuc ipsa antimonii & orichalci corpora, auro fusione admixta, uti quoque diximus, efficere valent.

Sed observatione dignum est, quod aurum ejusmodi heterogeneis permixtrum, ignis adminiculo facile fluat; è contra, ab eorum societate, nec minus à reliquorum metallorum mixtione liberum, fortissimum requirat fusionis ignem. Apparet hoc in illa präprimis operatione, ubi aurum, fusione per antimonium institutâ depuratur, nec non, ad summum puritatis fastigium evehitur. Cape igitur auriregulum (quem ad calicis fusorii fundum invenies, & à reliquo antimonii, quod superiorem occupavit partem, facile separabis) hunc ab antimonii consortio non planè liberum

berum crucibuli fracti fundo impone, ignem remissorem quamvis admove & folle probe agita confusam adhuc auri & antimonii massam, ut diffentur ejus haud fixæ particulae, atque in auras abeant; & remissore igne fluet aurum, quoisque aliquid admixtum habeat de antimonio, quo tamen abacto, immobile perstabit, & decies fortiori igne administrato, fusioni vix obediet.

Cujus phænomeni ætiologia in eo versari videtur, quod antimonii corpuscula auri spatiæ repleant, nec non pores ejus laxiores efficiant; jam cum accedente igne, uti constat, antimonii particulae facile commoveantur, ignis, poros auri levi negotio penetrabit, commotisque illis antimonii, auri quoque particulae unâ movebuntur & fusioni obedient. Diffatis autem, uti loquuntur, particulis antimonialibus, auri pori claudentur & arctiori nexu corpuscula ejus cohærent, quæ antimonialium interventu dissociata erant, neque ignis poros metalli subiturus aut particulas ejus commoturus est, nisi intensissimus administratur.

Paradoxon hoc quodammodo iis sapere videbitur, qui aurum per antimonium fusum admodum ductile, molle & flexile, aliis è contra metallis permixtum magis rigidum observant, quale quid & in causâ est, quod aurifices pro ornamentis aureis parandis, debitam argenti & cupri portionem obryzo admisceant atque aurum rhenanum dictum efficiant, quod externis injuriis obsistere valet, cum obryzo magis rigidum observeretur. Verum sciendum est, rigida fusioni haud semper equidem obstare, sanè enim aurum argenti & cupri misturam passum, rhenanum dictum, facilius funditur illo, quod ab omnium metallorum consortio liberum, obryzum audit: Manifesto satis testimonio, quod argentum & cuprum non solum poris ac spatiis auro

auro majoribus gaudeant, quæ ignis intrare valet, sed & quod eorum particulae ignis motui facilius obedient; quod utrumque si res exigeret experimentis satis manifestis probari posset.

Verum ut ad orichalcum redeamus cujus paulo ante mentio facta, præparationem ejus cupri & lapidis calaminalis mistura, institutaque fusione perfici, rerum metallicarum scriptores docent: Neque solum cuprum hac operatione ponderis augmentum lucratur, verum etiam colorem flavum, auro rhenano ferè similem: Quamvis tamen textura ejus notabilem admodum mutationem patiatur, quam ipsarum particularium metallicarum mutata figura nec non heterogeneorum quorundam admixtio, facile efficient. Et hæc utique in causâ erunt, quo minus auro permisceri queat; nam si tale quid succederet, gravissimis imposturis daretur ansa, cum orichalcum iis resistat causticis, quæ cuprum citra negotium quidem dissolvere valent.

Instituimus aliquando reductionem crystallorum viridis æris in metallum, additâ tutiâ præparatâ & salibus quibusdam ad fusionem necessariis, datoque fortiori fusionis igne, finitâ operatione cuprum fluvum auro rhenano quo ad colorem vix cedens, obtinuimus, quod aurifabrum vulgares sustinebat probationes: Quippe causticis in argentum & cuprum agentibus, constanter resistebat, & in cementatione utrumque absumere solita, perdurabat; decantatam probam ipsam per quartationem sustinens, postquam auro & argento particulam ejus admiscuisse, imo aurum rhenanum à nullo aurifabro rejectum exhibebat, cuius ^{roboris} haud deprehendi poterat, nisi instituta cupellatione, ubi auro & argento perdurante, cum plumbo absumebatur: Sed missione metallorum encheiresis hic observanda est,

est, quam equidem ob abusum inde facile expectandum re-
velare supersedeo.

Discant igitur docimastæ & aurifices hoc nostro ex-
perimento, auri illam probam per quartationem, deceptio-
nem utique involvere posse, & metallorum examen per
cupellam, huic præferri utique debere, quamvis quarta-
tio ut plurimum fere pro examine auri, reliquis metallis
permixti, in usum veniar.

Verum missis mechanicis, ad medicum auri usum
deveniamus, & decantatum Aurum potabile, quod hodie
putabile magis reputandum, cum rarissima avis existat.
Non desunt modi illud parandi & processuum Auri pota-
bilis, infinita ferè multitudo reperitur. Quivis enim phar-
mocopæus peculiarem jactitat parandi modum, imo res
et devenit, ut & barbitonsores, agyrtæ & circulatores, de
auro suo putabili, ferreo hoc seculo loquantur, ubi profe-
cto secundum Experientissimum & Clar. D. Ludovici præ-
stat, ex medicinâ parare aurum, quam ex auræ medicinam.
Verum cujus notæ existant tincturæ illæ solares, aut pota-
bilia auri, res ipsa penes oculatiores & rerum chemicarum
peritos loquitur: Quamvis nullius panaceæ & arcano fi-
dem derogare velim, sed firmiter credam, esse adhuc ar-
tis filios, per paucos licet, hujus magni mysterii possessores,
qualem & fuisse credo, quem aliquando in Belgio comi-
tem habui. Scl. Anno M DC LXXVIII. Amstelodami
navim Ultrajectum tendentem, mecum conscendebat vir
(quem ex vestitu Menonistam esse judicabam) humanus
& modestus, cum autem soli essemus ambo in navi, meque
medicinae operam navare, ex libri cuiusdam chemicilecti-
one cerneret, habito vario & sanè erudito sermone de re-
mediorum chemicorum præstantiâ, tandem vitrum è py-
xide lignea depromptum (præmissâ admonitione ut cau-
tè illud

D

tè illud

tè illud tractarem) meis manibus commisit , quod liquore quodam ponderoso admodum , & rubini colorem ferè referente repletum erat , cuius beneficio à contumacissimâ podagra & calculo , se aliosque brevi & penitus liberatos testabatur . Interroganti , qualis esset liquor , auri liquorem esse dixit , summam medicinam , meisque petitionibus favens fili serici extremitatem liquori prius immis- sam , ut delibarem , porrexit ; erat autem sapor ejus gratae dulcis . blandè feriens tamen lingvam & exilissimâ quamvis quantitate , mirè os reficiens , quem post biorum adhuc in ore percipere poteram . Libenter scivissem ex eo , ubinam haberet Domicilium , cum vero proprio motu se nullibi sedem fixam habere assereret , & paulo post navi ad littus appulsâ , abiret , de eonihil amplius rescire potui ; nisi quod Pharmacopola quidam Ultrajectinus mihi testatus fuerit , eundem virum , sibi quamvis & aliis ignotum , non paucos exilioris fortunæ homines , liquoris rubicundi quibusdam guttulis aliquot , à podagrâ , hydrope , epilepsia , calculo , circa ullum præmium , feliciter & cum stupore omnium subito sanasse .

Hæc cum Medico cuidam Belgii & non infimæ famæ chemico paulo post retulisset , se hujus liquoris & veri auri potabilis præparationem callere obstinate affirmavit quidem , sed rem aliter se habere , postmodum à filio ejus mihi familiarissimo , rescivi , qui sub fide silentii tandem parentis arcantum revelavit , nimurum auri calcem extrahi debere cum menstruo ex succi citri & lacchari misturâ destillato , quale & pro extrahendâ coralliorum tinturâ , ut ajebat , inserviret . Verum cum hujus menstrui in fixissimum auri corpus agendi insufficientiam ostenderem , & tinturam liquoris digestioni saltem ortum debere objicerem , sanè juvenis , patris errorem agnoscens , erubuit .

Nolo

Nolo jam in medium adducere permultos tinctura-
rum auri processus, quorum nonnulli speciem quidem
habere videntur, revera tamen nihil in recessu habent, hinc
præstat manum de tabula. Sufficit nobis haec tenus tinctu-
ra quædam Sulphuris Antimonii fixissimi & probè digesti,
aromatum essentiis extracta, cui (cum omnia ferè hodie
remedia cujusdam efficaciam aurata audiant) Tincturæ vi-
tæ solaris nomen deditus; & certè medicamentum est
magnæ virtutis, quod non solum in morbis chronicis
quamplurimis multum præstat, sed & vitale robur con-
servat & spiritus languentes vegetos reddit, hinc ad vitam
producendam & sanitatem conservandam, utilissimum es-
se, experientia inductus arbitror.

CAPUT III.

De maturatione Argenti in Aurum, artis admi- niculo instituta.

Argentum metallum satis fixum, non modo ad aurina-
turam proximè accedere, sed & præ reliquis metal-
lis, in aurum facile abire posse, si tinctura & pondus saltē
ei concilietur, non pauci philosophorum contendunt.
Sed hæreo utiq; an tinctura & pondus, quæ in argento de-
fiderantur, corpus auri efficere sufficiant, cum præter hæc
in auro præcipue firma admodum textura & arctissima
particularum unio reperiatur, quæ tum incorruptibilita-
tem, tum cras in eis præcipue efficere, neutiquam rāmen
tincturam & pondus statim sequi videntur. Argento
cementationis & restinctionis beneficio, alienum quidpi-
am admisceri & pondus auri conciliari posse, satis equi-
dem constat. Verum, tale quid non pro verâ transmuta-
tione

tione, sed sophistica potius adulteratione, habendum est; quippe facile à docimatis deprehenditur, institutoque examine utrumque perit, & non intimè permixtum esse monstrat.

Consultius itaque erit, præter colorem & pondus ad fixationem particularum metallicarum quoque intendere animum: Et quidem cum reliqua metalla in sinu terræ tandem in argentum & aurum tractu temporis abire queant; quidni argentum coctione figi & ita maturari poterit, ut in aurum tandem abeat, quâ de re philosophus quidam ita loquitur. *Si imperfecta metalla satis longo tempore in terra manissent, tandem argentum & denique etiam aurum facta fuissent. Non reperitur argentum bonum, quod non etiam in se contineat aurum. Hec est causa cur philosophi dicant, non esse aurum, quod non prius fuerit argentum, & tandem per caloris coctionem in aurum conversum. Nam cum natura generat metallum, tunc intentionem habet illud perficiendi in aurum, sed per temporis brevitatem & obstatula alia impeditur. Quare argentum est naturæ aurum, sit enim tale per coctionem in visceribus terræ, ubi argentum de gradu in gradum usque in auri statum exaltatur. Hinc est quod una argenti marca aut selibra, octodecim gradus seu Karatas, interdum integrum quartam, nonnunquam etiam duos lotones plus vel minus auri contineat.* (a)

Hujus rei veritatem Kunckelius, vir rerum chemicarum probè gnarus, contra non-entium chemicorum scriptores, luculento satis experimento probat, ubi nimirum argentum ab omni auri consortio liberum, intenues laminas redactum, repetitis vicibus cementat, factaque postmodum ejus fusione & cum aqua forti solutione, aurum ex eo productum colligit, cuius moles licet pro acquirendis divitiis euidem haud valeat, pro sustentandâ tamen

vita

¶ Christoph. Parisiensis Elucidar. att. transmutator. lib. I.

vità sufficere posse, autūmat autor, hac de re ipse consulens-
dus. (a)

Ego ut meam symbolam quoque conferam, salia pro
æmulando naturæ ductu utique sufficere &, ad metallorum
coctionem atque emendationem, nec non ipsam transmu-
tationem , multum efficere posse arbitror; opus tamen esse,
accedere ignem motorem universalem, quem particula-
rum salinarum activitatem intendere & metallorum poros
laxare , imo particulas ejus commovere, diversimodeque
disponere , indies observamus : Et certè non absimili ferè
modo eum in subterraneis regionibus suum pensum absol-
vere, metallicolarum experientia testatur , ejusque efficaci-
am montes ignivomi probant.

Quidam salia varia , crocum martis, antimonium, vi-
ride æris, similiaq; commiscent, atq; argenti cementationem
cum ejusmodi mixturâ instituunt ; existimantes, his inesse
corpucula quædam tingentia, solaribus maximè analogâ,
quæque à salibus adjuta, lunaribus facillimè accommodari,
& metamorphosin horum efficere valeant : quod ipsum
tamen qui fiat, haud video equidem. Corpora sulphureis
particulis maximè referta, (quale præprimis antimonium
observatur) ad metallorum coctionem & maturationem
aliquid efficere posse, non est dubium : Quamvis tamen
determinare vix liceat, an sola particularum suarum sali-
narum ab igne motarum , an verò sulphurearum quo-
rundam tingentium, intra poros metalli receptarum acti-
vitate, tale quid efficiant.

Utrumque hic aliquid conferre posse existimarem; nisi salina acida sulphureis bituminosis prævalere doceret mechanica, in vitrioli veneris & martis præparatione, ubi particulae sulphureæ combustiles bituminosæ deflagrant, remanentibus cum metallo salino acidis, affusâ aquâ, insti-

D 3 tutaque

(a) J. Kunkel Chymische Brille wieder die Non-Entia Chymica.

tutaque vitriolificationis encheiresi, facile admodum in vitriolum abeuntibus. Idem docet illa sulphuris super argentum fusum injectio, quæ metallum hoc in calcem abire facit. Et sanè hypothesin hanc confirmare videtur sulphur antimonii inflammabile, quod aquæ regis beneficio ex Antimonio elicere Chemici docent, quippe hoc æque ac sulphur commune inflammabile est, & ab eo vix visu differre reperitur, nisi quod parum in viriditatem vergat. Nihilominus tamen phænomena quædam à sulphure vulgari planè diversa exhibet: Quippe, auro & argento per fusionis ignem in unam massam liquefactis, sulphur commune injectum, in scorias comburit argentum, aurum vero purissimum sine labe relinquit; (a) quod tamen liquefactum igne, à modo memorato sulphure antimonii injecto, frangibile redditur.

Apparet itaque, sulphura non ratione inflammabilis & bituminosæ, sed salinæ potius substantiæ in metalla agere. Et licet vulgare sulphur particulas bituminosas artificiali illi antimonii planè analogas habeat, utriusque tamen salinas inter se planè differre, effectusjam memoratus, nec non sulphuris Antimonii genesis docet: Nimirum hoc salino quodam menstruo dissolutioni auri apro, aqua regis scl. conflatur, quod ipsum ab acido illo stagmate, quod sulphur vulgare fundit, & ex quo magna ex parte constare videtur, toto cœlo differt; cum tale in aurum nihil prorsus agat, imo argenti dissolutioni planè ineptum quoque reperiatur. Nescio autem utrum sulphur illud antimonii, quod olei vitrioli effusione institutaque destillatione ex stibio paratur, (a) modo dicto cum aqua regis parato, similes in aurum edat effectus. Interea tamen bituminosas quoque particulas metallorum coctioni & matura-

(a) Job. Bohn, *Dissert. Chemico-physic. VII.*
M. Ettmüller *Pyrotechnia Rationalis Lib. I, Sect. 3, Cap. 2.*

turationi multum inservire posse, haud ambigendum est; si nimirum tali modo iis compedes injiciantur, ut ab igne motæ haud avolare queant, sed cum acido salinis subsistere necesse habeant. Sic enim utriusque mutuo amplexu & citius & fructuosius succedit negotium, & major eorum activitas in metalla imperfeta observatur: quin tali pacto adjuta, citius & fructuosius ad maturationis finem tendunt. Sulphura namque mineralia quædam & tinteturam suam argento imprimere anniti, docent hujus metalli cementationes cum antimonio, sulphure communi, aliisque his similibus; quorum vestigia post operationem non raro in metallo cementato conspicuntur adeo egregia, ut auri colorem æmuletur. Sed fugaces æquè horum particulae colorē induentes reperiuntur cum aliis igne ante absuntis, quippe fusum rursus tale cementatum & fuso obductum metallum, pristinum colorē iterum acquirit & rursus argentum (quod tamen erat) conspicitur. Ejusmodi jam autem particulae tingentes sulphureæ, an cum reliquis salinis fugaciōribus ita figi queant, ut metallum ingressi semel, cum eo fixa perstent & per minima ejus exactè misceantur, multi quidem in dubium vocant. Verum tamen credendum utique est, non solum arte ex antimonio productum sulphur, verum & vulgare ita præparari posse, ut argenti particulas quasdam (si debite processum sit) in aurum abiisse, solutio per aquam fortē ostendat. De priori Tachenii experientia ita testatur. *Hoc sulphur est basis artificiosa undæ, in quâ si dissolvitur argentum, præcipitat magnam ejus partem in calcem nigrā, quam aqua fortis deinceps non tangit.* (a) De sulphure aurem vulgari, autopsiā edocitus scio, illud alkali cuidam fortissimo debitā portione nuptum, argentum eo redigere posse, ut in aqua fortis solutum, calcem nigrā, exiguæ molis quidem, in aurum tamen

(a) *O Tachenius Hippocrat. Chym. Cap. XXII.*

ramen reducibilem relinquit. Possem hæc aliis adhuc illustrare exemplis, sed nescio utrum consultum sit ea jam fusius persequi, quæ curiositati atque veritati magis quam lucro inservire videntur, dabitur tamen uti arbitror volente Deo ulterius de his differendi locus.

CAPUT IV.

De vario & insigni admodum Salium volatilium usu.

Intra præstantissima Chemicorum inventa, haud ultimum sanè locum merentur salia volatilia, ex animali præ-
primis regno petita, cum non solum corporis humani conservationi & medelæ, verum & efficacissimorum re-
mediorum præparationibus mirè admodum inserviant.
Quod ipsum mineralis ac vegetabilis regni, nec non ani-
malis quoque subjecta varia testantur, hujus salis activitati
sponte satis obedientia, sive illud volatile alcalicū, sive acido
minerali, aliove fixatum ammoniacum dictum adhibeas.
Quorum hoc, præterea quod clavis auri audiat, & ad laxan-
dam fixissimi hujus metalli compagem valeat, spiritui vini
nuptiam & cumeo per digestionem probè unitum, menstru-
um haud contempnendum evadit. Quod ipsum tamen quo
majori activitate polleat sequens observetur parandi mo-
dus. R. Florum salis ammoniaci cum salis communis fusi
anatica portione sublimatorum & probè pulverisatorum,
uncias duas, superfundantur spiritus vini rectificati unciae
octo, digerantur in phiala hermetice clausa per quatuor-
decim dies, adhibendo sub finem ignem paulo fortionem;
vase aperto separetur per inclinationem spiritus vini, &
quod infundo adhuc de floribus superest, (seu salem po-
tius

tius particulis spiritus vini quibusdam oleosis combi-
tum) modico calore super chartam bibulam exsicca, &
ad usus serva necessarios, præbet enim egregium medica-
mentum diaphoretico-diureticum, quod in affectibus sto-
machi , malo hypochondriaco & febribus , mira præ-
stat.

Cum liquore autem seu menstruo hoc , varia non in-
jucundo successu tentavimus : primo autem vitrioli vene-
ris pulverisat superfusus liquor in phiola , ad eminentiam
duorum digitorum , & vase in arenâ probe calente collo-
cato, postridie liquor smaragdini apparuit coloris, & tinctu-
ram obtinuimus vitriolici quidem saporis , magnæ tamen
efficacæ , quippe in epilepsia , mensium obstructioni-
bus, ictero, hydrope, gonorrhæâ, rachitide, lumbricis in-
fantum , multa præstítit, à duabus ad sex vel septem gut-
tas , cum vino malvatico exhibita. Spiritus volatilis uri-
næ cum calce vivâ destillati, aliquot gutterum affusione,
non injucundè colorem mutavit & ex viridi in cæruleam,
seu saphirinam potius intensam satis confessim abiit tinctu-
ram , cuius virtutes priori vix inferiores notavimus.

Secundo, vitriolo Martis superfusus noster liquor, &
cum eo simili modo ut cum vitriolo veneris processum
erat, digestus, tincturam aurei coloris dedit, saporis stypti-
co - dulcis , quam in fluxu mulierum albo, alvi fluxu chrono-
nicō , nec non hæmorrhagiis variis , efficacem satis depre-
hendi, si ejus scrupulus unus cum vino rubro propine-
tur.

Tertio , cum myrrhâ pulverisatâ per aliquot dies di-
gestus jam memoratus liquor, Elixir egregium exhibuit,
non contemnendum stomachicum, antiscorbuticum & fe-
brium intermittentium remedium, quod & externè in mun-
dandis ulceribus scorbuticis,malignis,nec non ipsâ gangræ-

E

nâ

nâ arcendâ , & laxitate gingivarum scorbutica emenda-
da, haud parum profuit.

Quarto, camphora huic liquori injecta, promptè satis
citra caloris accessum solvebatur, & liquorem camphora-
tum efficiebat, peregregium, externis æque ac internis
usibus aptum, cuius admirandam virtutem in doloribus
dentium experiri licet, præprimis, si una alterave olei Cor-
nu Cerviguttula adjecta fuerit: Sic enim Elixir Campho-
ratum præbet rubicundum, odore minus gratum licet,
pro sedandis tamen dentium doloribus valde aptum, & in
ipsis quoque hystericis & colicis passionibus cum fructu
usurpatum, cuius usum alibi fusius recitabimus. Plura
hoc menstruo tentata peregrina recitare possem, si res
exigeret, fiet tamen alibi forsitan ejusmentio. Salium vola-
tilium alcalicorum usum quod spectat, illa variorum &
præstantissimorum medicamentorum præparationibus
inservire, in dissertatione nostra Epistolari ad Illustr. D.
Kerkringum jam monstravimus.

Quid ad medicum æque ac mechanicum usum salia
illa faciant, ex plurimis & peregregiis sane experimentis
videre licet. Ita in aquis causticis mineralibus, nec non in
vegetabilium acidis liquoribus dissoluta mineralia & me-
talla, aliaque ex animali & vegetabili regno petita, Spir-
itus urinæ, salis ammoniaci aut Cornu Cervi volatilis (qui
nihil aliud nisi salia volatilia in phlegmate soluta sunt) affu-
sione, non modo satis commode præcipitantur, sed & colo-
re evecta magis & terrestribus salium particulis magis li-
bera reperiuntur, quam si sale tartari per deliquium soluto,
processum fuerit; subtiliora insuper sunt magisteria &
corpori humano, tum aliis usibus magis accommodata.
Quibus accedit, quod superaddita ejusmodi spirituum
portione quadam & cum illa digesta, salium corrosivorum
corpuscu-

corpuscula, pro mineralium aliorumque solutione adhibita & præcipitata, calci adhuc adhærentia, quæque nulla aquâ ablui aut à calce separari poterant, tali modo spicula sua amittant, corpori quoque haud noxam inferant. Quod ipsum tamen contraria experientia metallorum mirandumque solutiones, oleo tartari per deliquum, aut alterius cujusdam alkalici salis lixivio præcipitata, docuerunt; cum loco diaphoreseos ventriculi morsus, lypothimias, imo vomitus & graves diarrhoeas non sine periculo excitant.

His commodè satis digestione, uti diximus, cum volatilibus obviam iri posse, experientia me docuit. Implicantur autem tam firmiter salium corrosivorum particulæ præcipitatorum moleculis, ut nullatenus eas ablutione saltum aquæ separare valeamus; hinc mire decipiuntur sæpe chemici, qui præcipitatorum calces aqua saltem simplici edulcorare tentant.

Probavit id ipsum nobis sulphur quoddam Antimonii, salis alkalici fixi cujusdam beneficio extractum & aqua exsolutum, quod, cum acido minerali quodam caustico præcipitassem, & præcipitatum aquâ calidâ sæpius edulcorasse, nihilominus præter spem pro diaphoretico emeticum accepi. Instituta tamen digestione hujus cum spiritu volatili quodam urinoso, in vitro probè clauso, repetitaque ablutione cum aquâ calidâ, exsiccatum rursus, diaphoreticum egregium exstitisse, deprehendi.

Atque ita non solum in causticis soluta varia, alias noxia, sale hoc volatili alcalico-urinoso ita cicurari possunt ut utile pharmacum evadant; sed & ipsa noxia & corrosiva, venena quoque, ejus adminiculo eo redigi possunt, ut corpori salutaria existant. Opii virus narcoticum quomodo arceat in sequentibus videbitur; nec dubium est, quin

purgantium quorundam vehementiorum vim quoque infringat, docuit me id ipsum hydropicorum quorundam curatio, quibus, cum Resinæ Jalappæ grana octo vel scrupulum semis cum spir. vini anisat. drachmis duabus soluta, in juscule ex cerevisia & vitellis ovorum parato præscripssem, fructu equidem haud caruit medicamentum, sed interdum cum torminibus alvi & vomitionibus simul in nonnullis effectum monstravit: Qui ut obviam iretur, admiscui huic solutioni guttas viginti salis volatilis nostrili- quidi aromatici, & citra ullam vomitionem & ventris perturbationem, operationem exercuit medicamentum, simul aquas egregie per urinas expellens.

Mechanicæ utilitati quantum inserviant salia volatilia, variæ colorum productiones docent, ita aqua communis sale quodam volatili urinoso permista è Cochiniliis obscurè purpureum colorem satis copiosè educit: Quem, si in ruborem magis intendere lubet, affundi potest solutio Aluminis cum aqua facta. Ita si cum aqua communi adjecto alumine è ligno campecino extrahatur tintura rubicunda, illa affusione spiritus cujusdam volatilis urinosi, statim immutabitur, ad cremosinum colorem jucundè vergens. Et utrumque hunc tintoribus, pictoribus, aliisque mechanicis utiliter satis inservire posse, existimo.

Verum de Chemico & mechanico horum salium usu ad medicum ut veniamus, in confessò est, vix ullum aliud medicamentum ejus activitati in humores & spiritus nostri corporis comparari posse, cum hos langvidiores & plane sepultos excitando, illos vero acidos viscidos & ad motum seigniores corrigendo, attenuando, eorumque fluentem conciliando, mira præstet; quod ipsum in sanguinis æque ac lymphæ morbis experimur, ubi nimirum motu præprimis peccant & gravissima mala inducunt. Quibus si non

si non in tempore sale hoc laudato obviam itur, æger non raro aut succumbit, aut justo diutius torquetur. Quod ipsum apoplecticorum, epilepticorum, hysteriarum, calculosorum, aliorumque casus testantur; nec incommodo Exponentissimus & Clar. Borrichius huic rei testimonium adstruit ubi ita loquitur. *Salia volatilia ex partibus animalium proleda Medici hodie cum insigni sanitatis humanae emolumento passim usurpan in epilepticis, apopleticis, comatosis, scorbuticis, hypochondriacis, calculosis, aliis, de quo videantur practici bodierni, & in iis illustre quondam Lugduno-Batava Academiæ decus, Franc. Sylvius, mibi ob suavissimam biennii conversationem sincere dilectus, qui præclararam in medendo laudem legitimo salium horum in spiritus attenuatorum usu consecutus, in praxi sua vix iis quicquam frequentius commendat.* (a)

Non minori laude Per Illustris Boyle hujus salis usum effert, (b) ut alios taceant, qui miris eum deprædicarunt encomiis. Quid Illustris Kerkringius, quid experientissimus D. Walterus, apud Hamburgenses Practicus quondam valde celebris, postmodum Ducissæ Hollatiæ Archiater, sale suo volatili præstiterint, ea de re tum Hamburgi, tum in toto Holsatiæ traetū, imo in ipsis Daniæ locis, magnatum, & omnium fere honestorum virorum, in pharmacum hoc fiducia, loquitur, qui eo nunquam ferè carere possunt, sed undique in marsupio, propè vitro inclusum, secum portant divinum hoc medicamentum, quo externe & que ac internè felicissime utuntur: Neque solum ad curationem omnium morborum, verum & ad præservationem medicamentum efficacissimum & panaceam sumam esse judicant. Quem quoque titulum jure certe

E 3

mere-

(a) O. Borrich Hermetis Ægyptiorum & Chemicorum Sapientia Conring, animadversionibus vindicat. libr. II. Cap. IV.

(b) R. Boyle Histor. Sanguinis Humani Part. IV.

meretur; & infinitæ sunt ejus virtutes haud adeo pridem carminicè in germanicâ linguâ, à medico castrensi Regis Daniae descriptæ. (a)

Novi plures, qui sale hoc quotidie fere utuntur, ejus-que beneficio sanitatem suam non modo optimè conser-vant, sed & corpus à morbis, quibus singulis annis (plus unâ vice) affueti erant, præservant, quod ipsum podagri-corum, arthriticorum, calculosorum, aliorumque exempla-me docuerunt. Ipse met singulis fere annis paroxysmos febris tertianæ perferre solitus, ejus usu per Dei gratiam nunc per duodecim jam annos à febribus plane immunitis vixi, dolores quoque colicos abegi, quibus alias plus simplici vice, cunctis fermè mensibus, vexabar. Capiò autem ejus scrupulum semis, vel scrupulum unum, quavis vice, ter quaterve in septimana, cum vino aut cerevisiâ, cum hac tamen melius mihi cessisse, expertus sum; vel loco salis, liquidum nostrum volatile ambratum assumo, medicamentum magnæ virtutis, & principio nostro vitali am-
cissimum, cum mirè excitet spiritus, eosque agiliores efficiat, & ad negotia subeunda corpus valde aptum reddat, quale quid & alii nobiscum experti sunt, de utroque nostro medicamento. Vivunt quoque adhuc tum in Dania tum alibi, viri per Illustres, quondam in morbis meo auxilio usi, qui singulis annis integrum circiter libram hujus salis à me petunt.

Verum ut quævis res laude digna penes invidos cul-pa haud caret, ita quoque nobile hoc medicamentum apud nonnullos similem experitur fortunam, dum medici re-
rum chemicarum ignari, qui certè purum & nitidum sal volatile vix viderunt saltem, nunquam autem delicatos suos dígitos præparationi ejus admoverunt, ægris, aliisqua ab-sorda

(a) J. V. Willk. Nordische Bezoar oder wunderwürdige Hirsch-Horn-Salz.

surga planè & falsa, de ejus usū inculcant. Esse nimirum
sal volatile remedium calidissimum, acre insuper, & corro-
sivum, quod venas corporis perforare & corrodere valeat,
ast quivis sanâ ratione imbutus exclamabit hic cum
Poëta

O caput helleboro dignum !

Bone Deus, ecquid absurdius excogitari aut concipi potest
à vulgo & indocto homine ? credo medico pharmaciæ gna-
ro (qualis medicus esse requiritur) nequidem per somni-
um tale quid in mentem venire posse. Cum ante unde-
cim annos de praxi medica haud sollicitus, Hamburgi in
hospitio quodam adhuc degerem, nobilis quidam Holstatus
in eodem decumbebat febre quartanâ, cujus injurias per
quatuor jam menses senserat, utebatur autem consilio D.
Walteri practici celebris, cuius jam antea mentio facta,
hic ægro dederat spiritum volatilem Cornu Cervi, bis de
die assumendum, verum æger paraxymorum impatiens,
absente medico suo, alterius cuiusdam confilium quoque
adhibere tutum esse duxit, & quidem, cum aliquando ani-
madvertisset, spiritum Cornu Cervi cochleari argenteo in-
stillatum & affuso vino assumtum, in argento reliquisse
maculam nigricantem. Quod cum retulisset medico se-
cundo, & simul cochleare monstrasset, bonus ille vir, qui
nihil quam recipere scribere & ægrum ad imperitum coquum
ablegare didicerat, judicabat de re non nota, ut cœcus de
coloribus. Nimirum, consultum esse ægro, abstinere ab
ejusmodi medicamento corrosivo, quod metallum aggre-
deretur (nesciens, à cupro, argento admixto tale quid ve-
nisce, quod & ab oleo quodam, e. g. olivarum, alioq; adjecto,
& corrosivis adverso, coloris mutationem patitur viride-
que evadit) & faciliori negotio ventriculum & intestina
dilacerare posset, ægrum denique planè occidere. Præ-
scripsit

scripsit autem decoctum Tamarindorum & spiritum vitrioli, cuius aliquot guttas cum vino centaurei minoris, instante paroxysmo assumeret. Mensæ impositum utrumque medicamentum, spiritus vitrioli vitrum minus stabile aut debitè coctum perfregit, effluensque liquor, mappæ ex corio crassiori partem quam attigerat, ita corrosit, ut digitis contacta, dilacerari posset : Hæc videns febricitans, de utriusq; medici circumspectione dubitavit, re omni quoque narrata, ex me tandem quid sibi jam agendum esset anxius quæsivit; ad quod spiritum vitrioli omnino corrosivum esse innui, ejus tamen acorem spiritu Cornu Cervi (quem corrosivum posterior medicus male judicaverat) corrigi posse, ad oculum monstravi; quippe residuo spiritus virrioli quod adhuc in fundo vitri corrosi inveniebatur, affusus spiritus volatilis Cornu Cervi, exigua saltem quantitate, statim, uti solet, disparuit acor omnis & insipidus fere & subsalsus ad gustum apparuit liquor omnis, jam corrosonis expers; majori igitur fiducia prioris medici pharmaco usus est.

Non minus absurde, & citra experientiam, illi judicare videntur, qui spiritum aut sal volatile venas corporis nostri corrodere, ægris persuadent, & miror certè, cur non prius ventriculum, intestina, ipsasque arterias corrodant, antequam ad venas deveniant? Ex sale ammoniaco & calce viva destillatur spiritus volatilis fugacissimus, quævis animalium salia volatilia, activitate sua superans, oleum tamen vitrioli causticum & maximè corrosivum ita infringit, ut in quantitate quadam assumi queat, cum ante ejus guttulam delibare, vix licitum esset.

Verum ut paucis rem exponam, stultitia est medicmini cuidam propter aëgitatem suam pessimum effectum affingere velle, quod tamen sanguini & reliquis corporis nostri

nostri humoribus, ipsis quoque spiritibus, maximè analo-
gum censemendum est. cum sanguis, lympha, ossa, medullæ &
omnia ferè quæ in corpore microcosmico reperiuntur,
per ignem resoluta, in simile quoddam volatile abeant, (a)
hinc ex partibus iis plane analogis ea constare, censemendum
est, ex quibus ut plurimum spiritus & salia ejusmodi destil-
lari solent, v.g. Cornu Cervi, Ungul. alc. &c. Omnibus
tamen haud æquè conferre tale medicamentum, primo
Corporis conditio, secundo ipsius medicamenti præpa-
ratio, tertio Utendi modus, ut plurimum in causâ sunt.
Ubi quo ad primum sciendum est, phthisicos & scorbuticos
nonnullos, hæmorrhagiis obnoxios, aliosque, quorum
humores maximè acres, sanguis & spiritus quoque facile
mobiles observantur, haud semper adeo commode & mi-
nus frequenter salium volatilium sustinere usum, quin de-
fluxionibus indè vexantur magis, & phlogosæ molestas
sentiunt sæpe, nimis agitatus quoque sanguis acris, hæ-
morrhagiis ansam dat, quibus uti secundo loco monui-
mus, debita præparatione obviam iri posse, neutiquam du-
bitandum est. Et certe oleosa lege artis hisce salibus com-
binata, eorum motum quodammodo compescere, ita, ut in
operatione mitiora observentur, constat adeò ut sa-
lia volatilia oleosis combinata, etiam in pectoris quibus-
dam affectibus & catarrhis, variisque defluxionibus, tuto
satis præscribantur, ubi sal volatile citra oleosorum addi-
tionem paratum, haud commode adhibetur.

Est nobis in usu sal volatilis, quem ex cervi cornu-
bus & ungulis una destillamus (ungulæ enim æque præ-
stans sal volatile fundunt ac cornua, & nescio certe, an
non præstantius) hunc oleosis junctum, repetitis subli-

F. matio-

(a) *Essais d'Anatomie où l'on explique clairement la Construction des Organes & leurs opérations mécaniques selon les nouvelles hypothèses Discours. II.*

rnationibus in salem candidissimum gratum plane & omnis
fectoris expertem redigimus , satis durabilem quoque ,
quippe , frusta ejus satis dura , per duos tresve annos citra
virium jacturam , in vitro subere exacte clauso conservari
possunt , cum illud , quod plurimis fere in officinis reperi-
tur , odore graveolenti imbutum , colore flavum insuper ,
admodum molle quoque & humidum deprehendatur , qui-
bus nostrum utique præferendum esse , varia ejus phæno-
mena monstrabunt , quamvis mea hic laudare equidem
haud animus sit .

Reperiuntur nonnulli , qui nitorem hujus salis deper-
ditionem & virium jacturam prodere autemant , sed satis
ridicule , activitate enim nostrum vix ulli inferius erit , hinc
de effectu ejus neutquam dubitandum : Empyreumaticum
autem odorem & olei fætidi adhuc adhærentis portionem ,
licet hystericis & epilepticis quibusdam conducere euidem
observatum sit , de omnibus tamen hoc æque dici haud
poterit , & memini , foeminas quasdam ab odore ejus & usu
pessime habuisse ; quibus sal volatile purum & ab omni fæ-
toris consortio liberum , alias optime profuit . Et sanè sal
oleo suo adhuc contaminatum , in omnibus officinis haberi
poterit , cum nitidum & ab olei fætore liberum , adhuc ra-
rius reperiatur . Interea tamen nemo sibi persuadeat , olei
separatione , hocce sal detrimentum virtutis suæ ullum pa-
ti , cum nobis encheiresis constet , cuius beneficio quicquid
olei fætidi post destillationem reperitur , in purum & niti-
dum sal volatile redigere possumus .

Sic quoque sal volatile habeo , cujus duæ partes salis
nostræ polychresti fixioris uni permixtae , odore fugacius
& magis activum fere sal constituant illo , quod purum erat
& ex frustis satis magnis constabat , sapore tamen mirius
agere reperitur , hinc majori dosi propinari poterit , sæpius

Lob 12. Decima II

quoque assumi, namque stomachicum insigne est, nullo non tempore inter cibandum quod satis tutò assumi potest, cum haustu vini, vel cerevisiæ; febris fugum quoque nulli inferius dici meretur, intermitentes febres omnes, ipsam quoque quartanam, feliciter debellans; in scorbuto, calculo aliisque morbis chronicis, haud sine fructu assumitur, & omnia fere præstat, quæ à sale quodam volatili exspectari possunt; vino rhenano inditum, cum strepitu ebullit, durante pugnâ haustum vinum, frigidissimum sentitur, cessante autem illa, colore immutatum & grate rubescens cernitur vinum, odorem exhibens insuper vino malvatico haud ab similem. Cum cerevisiâ permixtum sal nostrum volatile polychrestum, & paulisper agitatum, cum strepitu pariter motum intendit, minorem licet, quam cum vino, & maxima pars cerevisiæ ex bullulis minoribus constare, albicans insuper & quasi recens adhuc cernitur, demissis tamen paulo, post ad fundum particulis minus coctis crassioribus, feculentis. Licet autem non adeo bonæ notæ aut vetusta prius fuerit cerevisia, securè tamen hauritur, plura quoque hujus salis phænomena adhuc recitare possem, si spatium permitteret.

Sed tertium, salis volatilis utendi modum quod concernit, certum est, hujus abusum æque ac Herbae The, Coffe, Tabaci similiusque observari; quippe in Magnatum quibusdam aulis, quotidianum fere potatorum audit remedium, cum ad crapulam discutiendam mirè valeat, hinc ab iis quotidie ad drachmas fere sumitur, super ingurgitatis vini mensuris integris: Quem tamen utendi modum maxime improbandum esse censeo, sciant namque Bacchi filii, quod tali pacto facillime hydropiansa detur: Spiritus enim partim à vino, partim à sale nimis commoti & supra modum agitati dissipantur, attenuataque præter modum lympha

& nimis acris reddita, vascula corrodens, in abdominis cap-
vum prolabitur.

De interno autem hujus salis usu ad externum venia-
mus, quem omnibus haud æque satis constare arbitror.
Naribus admota volatilia salia, plures languentes & sensu
quasi destitutos reficere, imo semi mortuos fere excitare,
nec minus in obstructione narium & dolore capitis mul-
tum præstare, observatum quidem. Nemo autem facile
tentasset ejus particulam per nares attrahere, quod tamen
satis ruto facere licet. Magis quoque tutum & salutare ha-
babunt remedium præ pulvere sternutatio hodie admo-
dum in abusum rapto, & nonnullis sæpe noxio, qui salis vo-
latilis purissimi portiunculam, acus minoris globulam
æquantem, in pulverem tritam, per nares attrahunt, quippe
blande satis ac modice subsequitur sternutatio & mucus
per nares excernitur, cum notabili capitis emolumento,
& quidem ut obstaculum nullum in ductibus rema-
neat, quale quid à pulvere illo sternutatorio haud rarò
contingit, cuius abusus denique membranas narium interio-
res sensus omnis expertes reddit, ut citra ullam sternuta-
tionem postmodum per nares attrahatur pulvis, magis no-
xius quam proficuus. In oculorum affectibus quid præ-
stet sal volatile, primus quantum memini quidem patefecit
Vrolingius, Belgii quondam Chirurgus celebris, qui in
sed factam experientiam sequentibus refert. *My sel've isset
geschiet Anno 1672 dat my de Oogen aen' onderste deel gehel-
dugster waren, dat ik myn eygen voeten niet konde sien, en
nochtans de sterren aen den Hemmel met onderschryft beken-
de, het welik ik aldus met de hulpe Godes genesen heb.
Neemt ongcleschte Kalck iwe Oncen, gesloten Vitriol een
once, en Salmiac een loot, alles klein geschooten, giet bier over
met alle baest een mengelen stroom of Put-water, soo begint de
Mate-*

*Materie met het Water, te sieden en teroken, haet de Oogen
geopent over die subtile rook die in de Ogen komende, door
dringt gelyck een vier, ende verteert inwendig de Nevel
die voor de Oogen gevallen waren, ende wert met twe à
dry mael rokens volkomen genesen, daer ick Godt voor danc-
ke. Men soude naulickx gelooven wat dit al vermach in
duystere Oogen van ouderdom gekomen. Diergelycke deugt
en kracht heeft men Oock in de Uryne en Wyn-geest beyde ge-
distilleert, dan in een kleyn potje op en kooluyer gewarmt,
en den subtile rook door een trechter in de Oogen ontfangen,
maeckt een helder en klaer gesicht, ende alsmen een weynigh
Campher daer in smelt, men soude niet gelooven hoe veel het
vermach in duystere gesichten, pocken en schellen op de Oo-
gen. (a)*

*Simile quid minori negotio obtinui : Camphoræ scl.
aliquot grana cum sale volatili nostro polychresto trita, vi-
tro immisi, hujus autem orificium subere obturavi, quo re-
moto, summitas vitri oculo aperto, ita tamen ut eum non
tangeret, admota est, tamdiu quadraginta numerari pos-
sent, hoc ipsum autem bis terve de die repetitum, non pau-
cos ab oculorum gravissimo malo, & cataractâ jam immin-
nente, liberavit; aquam insuper quoque adhibui ophtal-
micam præstantissimam, cuius guttula una alterave ter
quaterve de die instillari potest, tali autem modo paratur,
aqua. Solutioni vitrioli veneris cum aqua florum sambuci
factæ, adjiciuntur aliquot grana salis volatilis, vel aliquot
gutruleæ spiritus urinosi volatilis cujusdam, & aqua gra-
tissimi coloris saphirini evadet, in oculorum affectibus
peregredia.*

*Aurum affectibus, salia volatilia quoque mirè succur-
rere
F 3
soletur. 30 (a) A. L. Vrolingh. Matroesen Gesondheit of goede Dispositie de Zee-
varende lieden Cap. V.*

rere, experientia me docuit, & novi quondam in Belgio practicum celebrem, qui mixturā quadam ex oleo lumbicorum & spiritu volatili salis ammoniaci paratā, in gravi auditu & surditate admiranda planè efficiebat, eductis aurium sordibus, hāc vero mixtura incavitatem ejus beneficio peniculi immisā, & cum eo aliquantulum agitatā, quo membranam interiorem undiquaque pertingeret.

Variolarum cicatrices salium volatilium adminiculo quoque evitari posse, vel centies non sine felici successu expertus sum, parato linimento ex sale volatili, oleis quibusdam, & animalium axungiis, sed opus est bezoardica & sudorifera præmittantur ad expulsionem necessaria, sine quibus vix negotium succedet. Plura de externo ejus usum jam referre nolo, patet tamen, cum oculis, naribus aliisque corporis nostri partibus admodum sensibilibus, tutò satis adhiberi queant salia volatilia, eorum usum neutiquam reformidandum esse, uti stolida quorundam timiditas judicat. Sanè, infantibus ne dum unius diei, haud semel felicissime duas tresve guttas spiritus volatilis Cornu Cervi essentificati, in epilepsia propinavi, meisque liberis omnibus præservationis gratia optimo cum successu primo statim nativitatis die id ipsum medicamen exhibui. Nullus quoque dubito quin plura adhuc egregia de salium volatilium usu experientia cognosci possint, adhibeant modo medici oculatores diligentiam & laboris eos nunquam pœnitibet.

CAPUT V.

De usu & præparatione Opii.

Opium & quævis opiate medicorum practicorum non pauci pro yeneno quasi apud vulgum & rei medicæ ignaros

ignaros diffamant, nihilominus tamen Theriacam, Dia-
scordium Fracast. & similia indies præscribunt: Quasi vero
iis non inesset opium, cum tamen cuilibet drachmæ (hac
enim dosi præscribere solent) unum insit opii crudi gra-
num.

Ante aliquot annos, cum adhuc in Belgio viverem, Medicus febre maligna detentus, alium medicum advocari postulabat, qui adveniens, tincturæ opii ab ægro jam aliquoties assumentæ usum, ut justum erat, serio dissuavit quidem, bolum tamen alexipharmacum & sudoriferum ex Dia- scordii Fracast. Drachma una & lapidis Bezoar granis sex, una vice assumentum præscriptis, & ita uti dici solet, cœcus cœ- cum duxit, omni procul dubio ex pharmaciae ignorantia. Forte autem minus feliciter res cessisset, si non tertius me- dicus oculatior boli usum dissuadens convenientioraque præscribens, intervenisset.

Opium intempestive datum & minus rite præpara- tum noxas afferre posse, haud dubitandum est. Ex eo au- tem pharmacum hoc noxiū pronunciare, illudque ex usū medico proscribere velle, haud medici rationalis esse arbitror. Quippe opium crudum & larga satis dosi à qui- busdam assumi, ejusque usum per aliquot septimanas & menses continuari posse, nemo in praxi medica versatus, inficias ire poterit: Et cogit sœpe medicos necessitas, lauda- na opiate vel opii liquida ægris præscribere, in affectibus dolorificis, arthritide, podagra, doloribus colicis, alvi quo- que, & sanguinis profluviis continuatis, catarrhis, & phthisi denique, ubi tussis admodum molesta ægros vexat.

Novi ante octo annos Hamburgi Germaniæ superio- ris liberum Baronem, qui postquam empirico quodam re- medio quartanam debellasset febrem, paralysin scorbuti- cam accersivit, quæ cum thermarum usui cessisset, re- man-

mansere tamen dolores arthritici vagi exquisitissimi, ita-
ut miser dies noctesque insomnes transigere necesse habe-
ret. Accepit à circulatorē quodam pulverem, quo usur-
pato, per duodecim horas cessarunt dolores & plac de
dormivit æger, cum notabili corporis emolumento, emit
igitur hujus pulveris parandi modum aliquot thaleris à
prædicto homine, & constabat ille ex Opii crudi, oculorum
cancrorum & uncis moschatæ, anatica portione, singu-
lis bene pulverisatis prius, deinde exactè permixtis. Hujus
pulveris drachmam semis quavis vice assumpsit, & primo
quidem semel in die, postmodum bis vel ter, denique sexi-
es illum unius diei & noctis spatio assumere necesse habu-
it. Petuit meum consilium, postquam per tres annos in-
tegros hoc pulvere usus, semper quasi temulentus incede-
ret, alvum insuper quotidie clysmate ex muriā & butyro
provocare necesse haberet. Suasi ut sensim abdicaret
usum pulveris, aliisque simul ureretur pharmacis, sudori-
feris, antiscorbuticis, quod & fecit, sed minus bene se inde
habuit; cumque aliquando assumpto pulvere diaphoretico,
opiatu usum per horas octo plane intermississet, animi de-
liquiis, cordis palpitationibus, exquisitissimis membro-
rum doloribus & spasmo corruptus est ^(a) huæ omnia tamen
sumpto rursus meo consilio pulvere narcoticō (cui assue-
tus erat) brevi disparuere. Nescio an adhuc vivat miser
iste, ante sesqui annum tamen in Nundinis Brunsicensi-
bus ex Italo quodam ipsi familiarissimo accepi, eum adhuc
in pristino statu vivere pulvere tamen suo opiatu, majori
fere quantitate constanter uti.

Correctionem opii diversimode tentarunt, partim tostio-
ne, partim extractione acidorum beneficio utramq; tamen
magis perditionem quam correctionem sapere, oculatores
chemici hodie iudicant, fermentationem & digestionem po-
rius

(a) Thevenet in l. 2. c. 20 itin: orient: poem de nonnullis
Cossis adgitatis

tius eligentes, quæ opii texturæ immutandæ convenientes
satis videntur, cum earum adminiculo subtiliores particu-
læ à viscidioribus liberentur, illæ exalentur, hæ vero ac-
cedente motu attenuentur, atque incidentur. Quod, ut
commode satis fiat, & correctionem subeat opium, chemi-
ci moderni opium blando calore exsiccatum, cum sale tar-
tari pulverisato miscent, deinde spiritum vini in phiola af-
fundunt & tincturam extrahunt, non infimæ notæ, quam
laudani liquidi tartarisati nomine nonnulli appellant: Sed
nitrum fixum & aliud sal alkali additum idem præstare po-
terit, hinc nescio an satis commode tartarisati nomine ve-
nire queat. Ut autem verum & modo dicto illo præstan-
tius laudanum liquidum tartarisatum habeatur, sequentem
communicabo parandi modum. Rx. Opii moderato calore
exsiccati unciam unam, tere in pulverem, adde olei tartari
per deliquium vel liquoris alkahest Glauberi ex nitro fixo
per deliquium soluti. q. s. bacillo ligneo probè misce invi-
cem ut pulsis instar conspiaciatur, lenicalore exsicca massam
hanc, ut in pulverem iterum redigi queat, affunde iterum
prædictum liquorem, misce & exsicca, laborem hunc ter
reiterando, tum Rx. spiritus Tartari super caput mortuum
vitrioli rectificati q. v. superfunde opio pulverisato & sa-
le alkali imprægnato, ad eminentiam duorum digitorum &
fermentescere incipiet, colloca vitrum clausum in digestio-
nem per viginti quatuor horas, deinde superfunde Spir-
itus vini rectificati aliquot uncias, adde Croci orientalis
drachmam semis & iterum vase clauso per aliquot dies dige-
re, sic laudanum liquidum tartarisatum præstantissimum
habebis magnarum virtutum, quo per aliquot annos in pra-
xi mea felicissime usus sum. Virtutes ejus prolixè recensere
neutiquam consultum esse arbitror, cuivis enim rei medi-
cæ gnaro ex præparatione satis constabit, particularum

G

motu

motu admotum notabili, opii texturam valde immutari & totius medicamenti crasin alterari debere, quale quid & de illa opii præparatione, censemus esse existimo, cuius in dissertatione nostra ad Illustr. Kerkringium, de Phænomenis quibusdam Chemico - Physicis, mentionem fecimus.

His addam aliam adhuc opii præparationem, prioribus in certis constitutionibus morbisque præferendam, & quidem jam præcedenti capite opium digestione cum salibus volatilibus institutâ, notabiliter corrigi posse ostendi. Paratur autem menstruum sequens. R. salis ammoniaci uncias quatuor, Salis Tartari uncias sex, superfunde in cucurbita vitrea Spiritum Tartari rectificatum ad eminentiam duorum digitorum, & juncturis exacte clausis abstrahē duas partes, sic spiritum Tartari volatilisatum urinōsum unā cum sale volatili crystallino obtinebis, magnarum virtutum, quippe utrumque diaphoreticum & diureticum insigne esse reperitur, & multum præstat in scorbuto, arthritide vaga, calculo, febribus omnibus, tam continuis quam in rermittentibus, hydrope, ictero &c. Accipe jam opii blanda calore exsiccati & pulverisati unciam unam semis, superfunde de prædicto spiritu uncias tres, & lenissimo calore in vase optime clauso digere, deinde adde spiritus vini rectificati uncias duas, perge cum digestione adhuc per aliquot dies, & accipies optimum opii liquidum medicamentum, quod per inclinationem separandum & facta filtratione per chartam emporeticam in vitro exacte clauso servandum est. Adhibetur autem in morbis acutis & malignis quibusdam, ubi opii narcosis metuitur, diaphoreticum insigne est, additoque extracto bezoardico Theriacam liquidam compendiose satis constituit, Theriacæ alias prodigiosæ vulgari prævalentem, cum majoris sit activitatis, dosi

dosi autem longe minori & ad aliquot guttas saltem adhiberi queat, insuper nec illa circumspetione opus habeat, quæ alias circa Theriacæ vulgaris usum in morbis malignis requiritur, licet tamen medicamentum hoc peritorum saltem medicorum manibus commendem, quo per Deigratiā in dysenteriâ admixtis balsamicis admiranda præstiti nec minus in morbis aliis ubi opiatis opus erat, aptè enim satis variis liquoribus pro morbi exigentia commisceri potest, & pharmacum auro præstantius est, quod proximi amore motus, nunc publici juris facio.

CAPUT VI.

De cathartico Antimonii & sulphure ejus diaphoretico fixo.

LIcet varia & egregia satis Chemici ex Antimonio produixerint remedia, duo tamen præprimis sunt, quæ adhuc ex eo parare desiderant, & quibus haec tenus parandis anxiè satis infudarunt, catharticum scl. ejus, absque naufragi & tormentibus per inferiora saltem purgans, & sulphur fixum diaphoreticum.

Prius quod spectat, varia quidem apud scriptores chemicos reperiuntur Antimonii cathartica satis bona, ut plurimum tamen per vomitum operantia, reperiuntur quoque penes autores eorum nonnulla, quibus solum per alvum operandi virtutem adscribunt, sed talibus non nimis fidendum esse, praxis docuit. Ita antimonii, vitrum cum spiritu vitrioli digestum, emeticam vim amittere & per alvum saltem laxare scribunt, verum aliter eventus me docuit, exhibitum enim quibusdam ejusmodi antimoniale corratum, per vomitum satis vementer vim suam exercuit.

Mercurium vitæ vel Pulverem Algarotti sola tritura cum sale communi emeticam vim perdere & catharticum saltem manere, pariter contendunt; quod, licet paulo melius successerit in quibusdam & medicamentum hoc nullum excitaverit vomitum, sine vomendi tamen conatu vix quidem alvum subduxisse, aut solito rarius licet vomitum excitasse, pariter accurata practicorum observatio docuit; haec tenus igitur de laxativo antimonii, nondum nobis gratulari possumus. Salem ammoniacum ad castigationem emeticæ virtutis quodammodo valere, jam pridem expertus sum, hinc saepius in usu habui, antimonialibus vomitoriis quædam florum salis ammoniaci grana adjicere & mihiorem effectum solitoque rariorem per vomitum operationem, observavimus. Instituimus ergo haud adeo pridem cum menstruo minerali corrosivo antimonii solutionem, digestio nemque per aliquot dies, decantatæ solutioni spiritum salis ammoniaci volatilem urinosum instillavimus & præcipitatus est pulvis antimonii, qui aqua calida ablutus & cum spiritu vini, sali volatili nupto, digestus, postmodum exsiccatus, per alvum tantum energiam exercere in duobus ægris observarus est; nolo tamen haec tenus hunc pulverem laxativum pronunciare, aut ejus parandi modum exactiorum adjungere, priusquam crebrioribus instructus sim experimentis.

Sulphur diaphoreticum Antimonii quod concernit, ejus parandi rationem non ineleganter in Dissert. nostra Epistol. ad Illustr. Kerkringium exhibui, & ante paucos menses peculiarem parandi modum meis auditoribus monstravi; quippe, ex liquore limpidissimo & omnis fere coloris expertise, affuso Antimonii aceto, notabilis quantitas sulphuris diaphoretici præcipitata est. Diximus alibi mixturam ex antimonio, nitro, tartaro & calce vivâ retortæ tubu-

tubulatae injectam, clyssum exhibere urinosi volatilis indolis, caput mortuum vero ejus fusionis igni commissum, neutquam regulum largiri, sed planè in scorias abire. Has scorias admixto sale ammoniacò aliquando sublimavi, & flores antimonii intensè rubicundos obtinui, odoris & saporis urinosi volatilis, ob salis particulas eis adhærentes, quas cum aquâ calidâ affusâ separasse, sulphur flavesiens sub formâ pulveris ad fundum subsidere visus est, inter dia-phoretica antimonii utique recensendus, imprimis vero, si aquæ calidæ aliquot guttulae acceti antimonii admixtae fuerint, hunc autem pulverem edulcoratum, pro febribus debellandis peculiare quid præstitisse, non semel in praxi observavi. Supersunt adhuc alii diaphoreticotum ex antimo-nio parandi modi, quorum alia occasione volente Deo mentionem faciam.

CAPUT VII.

De admirandâ liquorum quorundam per alvum injectionem efficaciâ & penetrandi virtute.

PER alvum quæ injiciuntur, in intestino colo saltetma commorari nec valvulae ejus limites transgredi, quoniam creditum fuit. Contrarium autem docuit Recentiorum quorundam observatio (a) nec mihi semel videre contigit, in atrocissimo dolore colico, clysterem injectum ex Decocito ceparum & carminantium quorundam, addito oleo fœtido Cornu Cervi in Spir. vini camphorat. dissoluto, per os exparte rediisse, cum naußeâ quidem & ingrato sapore, admirando tamen ægrotorum emolumento & atro-

G 3

(a) Th. Kerkringius Spicileg. Anatom. Observat. 31.

J. Primerolius de Vulg. Erroribus in medicina Lib. IV. Cap. 2m.

cissimorum dolorum subitâ solutione, qui antea nec carminantibus nec anodynîs auscultabant.

Similis clyster in passionibus hystericis, cardialgiâ flatulentâ, epilepsiâ, nec non nephriticô dolore & suppressione urinæ, addito oleo terebinthinæ (a) admiranda præstitit, quemadmodum ante quinquennium singulârî quodam experimento in Holsatiâ didici. Vocatus scl. ad Consiliarium status Regis Daniæ, qui per quinque jam dies omnimoda urinæ suppressione misere laboraverat variaque incassum tentaverat auxilia, præscripsi prædictum clysterem, qui circa vesperam injec̄tus (licet omnis sensus internus apud ægrum jam deficere quasi videretur) subito doloris sensum & expellendi nîsum in ventre excitavit, subsecente paulo post vomitu unâ cum clysteris rejectione per alvum & mittendi urinam conatu, frustraneo licet: Repetita adhuc semel ejusdem clysteris injectione circa matutinum tempus, unâ cum urina copiosissimâ crassiores arenas & calculum pisi majoris magnitudine excrevit, cum optimo sanitatis successu. Clysteres itaque nonnullos, non tantum coli valvulam superare, verum ipsas intestinorum tunicas, parculas quasdam subtiliores penetrare & urinæ organa secretoria afficere posse, utiq; ad credendum inducor, licet inflatum intestinum nec per poros nec per valvulam transmittat aërem, sed filo ligatum, ab eo planè turgidum & expansum observetur,

Neutiquam paradoxon hoc videbitur iis, qui cum Perilustri Boyleo & aliis nostrorum temporum oculatioribus philosophis tum animalium tum solidorum corporum porositatem contemplantes, & hæc & alia, primo intuitu quidem paradoxa & conceptu ardua, verissima tamen esse, observarunt. (b) Cum aliqu. Hamburgi cum illustri Domino Ker-

(a) R. Boyle de Simplicium medicamentor. utilitate & usu §. IV.

(b) Idem Tentam. Porologic.

no Kerkringio hāc dere sermonem haberem, retulit mihi,
vesicam bubulam inflatam & exacte ligatam, postmodum
in superiori parte illorum officinæ suspensam, qui pannos
radere solent, & germanice vocantur Luch-Scherer/ post
quadrimestre spatiū, facta dissectione, vel manipulum floccu-
larum subtilissimarum in se continuisse, quæ omni pro-
cul dubio ab opificibus agitatæ, vesicæ poros penetraver-
rant. Et admirationem certè meretur, quod curiosissimus
Tavernier sequentibus refert verbis. Ipse met plus simpli-
ci vice observavi hoc ; si illis qui Indigo per cibrum traji-
ciunt, tempore matutino proximè opponatur ovum & cir-
ca vesperam illud diffingatur, internè totum livido colo-
re tinctum observari, ex quibus cognosci potest, quam pe-
netrans pulvis ille de indigo sit &c. (a) Memoratorum autem
corpuscula, cum membranarum porulos penetrare valeant,
non est dubium, quin subtiliores longe particulæ & sponte
sua facile mobiles, quales in spiritu vini camphorato, oleo
fætido Carnu Cervi, cepis, & cunctis spiritu acri volatili
tungenribus continentur, intestinorum poros penetrare, ad
remotiores corporis partes abire, ibique suam virtutem
exserere queant. Quod ipsum vulgaris quidem, non ta-
men inelegans observatio circa ovorum sale & succo cepa-
rum imprægnatorum & coctorum præparationem, me do-
cuit, quam salinarii ut plurimum instituere & ejusmodi
ova vocare solent die Söhl-Eyer. Accepi namque ovo-
rum gallinarum recentium aliquot, quæ ceparum pellicu-
lis exterioribus obvoluta, in muria ad duritatem coxi, fri-
gefactis ovis, cortex externe flavescere videbatur, quo
diffractione, dissecui per medium ovum unum alterumve,
quorum albumina pariter flavescere videbantur, immuta-
to insuper solito vitelli colore ; sapor autem non modo
falsus, verum & ceparum succum quodammodo referre
animad-

(a) Job. Bapt. Tavernier. Itinorar. Indie Lib. II.

animadversus est; manifesto satis testimonio, non solum
salinas muriæ, verum etiam acres ceparum particulas, o-
vum, accedente una coctione, totum penetrasse.

Objicit hic forsitan aliquis, subtiliora corpulcula facili-
ori quidem negotio putamina ovorum porosa penetrare
posse, intestinorum tunicas autem non item. Quibus
haud contradico equidem, obseruent autem quæso, ovo-
rum testas membrana quadam interius cingi, quam præ
aliis minus porosam esse, vel vulgi evincit experientia;
Quippe membrana hæc febricitantium digitis circumvo-
luta, aëris accessum fere omnem prohibet, ita, ut atmosphær-
æ ambientis pressione dolorem exquisitum (si debite ap-
plicata fuerit membrana) sentiant ægri, & novi adultos
qui præ doloris sensu exinde in digito oborto, vix lachry-
mas cohibere potuerunt. Verum sufficiant hæc pro mem-
branarum & tunicarum porositate in corporibus anima-
lium demonstranda, cum plura & egregia admodum hac de-
re penes Per - illustrem Boyleum reperiantur. Ipsa expe-
xientia insuper prædictorum liquorum injections
facta, prout mihi fuit, sic & aliis optima
exit testis.

(a) Vt opistolam D.D. Goberti Rosini Contilii Misel-
lanie Medicis insertam. p. 240.

Ra. 476. 8. A

Ra 477, 8^a

X2614063

V3.17





D. O. M. J.
ACTORUM
LABORATORII
CHEMICI
AUTORITATE ATQUE AUSPICIIS
SERENISSIMORVM POTENTISSIMO-
RVMQVE
DUCUM BRUNSV.
ET LYNEBURG.
In Academia JULIA editorum
SPECIMEN PRIMUM,
Medico-Chemica nec non Physico-
Mechanica observata quædam rariora
exhibens,
AUTORE
JOHANNE ANDREA STISSEER,
M.D. & Prof.

HELMSTADII,
Typis & Sumtibus GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.
Anno MDCCI.